This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`





77 Maine 576

90 - c. 4 -



AVGVSTI GVILELMI SCHLEGEL
HANNOVERANI, SEMINARII PHILOLOGICI
SODALIS,

DE

GEOGRAPHIA HOMERICA COMMENTATIO

QVAE

IN CONCERTATIONE CIVIVM
ACADEMIAE
GEORGIAE AVGVSTAE
IV Junii cIↃ IↃCCLXXXVII
AB
ILLVSTRI PHILOSOPHORVM ORDINE
PROXIME AD PRAEMIVM
ACCESSISSE
PRONVNTIATA EST.

Ἠμεις δε κλεος οιον ακουομεν, ουδε τι ἰδμεν

HANOVERAE
APVD IOANN. WILHELMVM SCHMIDIVM
MDCCLXXXVIII.

PRAEFATIO.

Iam ante annos aliquot vir illuſtris Gatterer, in commentationibus de Herodoti et Thucydidis Thracia, ejusmodi laboris, in quo nunc verſatus ſum, tum grauiſſimas vtilitates in purganda Geographia antiqua a vitiis, quibus huc vſque laboraverat,

expoſuit, tum leges et inſtituendi modum exemplo ipſe monſtrauit. Re autem ad Homerum translata, methodo ſcribendi paulum mutata mihi vtendum erat, propter magnum numerum cum eruditorum antiquioris Graeciae, qui ſtudia ſua aliqua de parte noſtrae aetati ſeruata, Geographiae Homeri illuſtrandae impenderunt, tum interpretum recentiorum, quorum aut ſententiae refutandae erant antequam noui aliquid pro-

proferrem, aut auctoritas excitanda, quoties eos rei ſatisfacere ducebam.

Breuitati ubique, quantum poſſui, ſtudui; cuius gratia tabulam quoque Graeciae ad exemplar Danvillianum deſcriptam, eam tamen ad rationes deſcriptionis Homericae exactam, addideram, ne ſitum cuiusque vrbis de qua traditum inueniebam, verborum ambagibus definire cogerer; ſimulque gentium Graecarum ditiones, quales illas ex vrbium, quae cuique

tribuuntur, poſitione, fuiſſe colligo, vno intuitu perſpiciendas lectoribus exhiberem. Hanc fortaſſe, vbi diligentius elaborauero, aliquando aeri incidendam atque vulgandam curabo. In Troadis vero deſcriptione ante oculos habui egregiam Danvillii tabulam, in illa minoris Aſiae laxiore ſpatio iteratam, et Woodii delineationem hodiernae locorum circa Trojam faciei, qua opus ſuum de Homero ornauit.

Ordi-

Ordinem in terris ſingulis recenſendis hunc ſecutus ſum, vt oras maris interni, inter quas maxima de parte cognitio Homerica ſubſiſtit, initio a Graecia facto, luſtrarem, ſimul in mediterranea, quoties cognita Homero inuenirem, inde aſcendens. A Graecia progreſſus ſum ad terras eiusdem continentis, cuius illa pars extrema eſt, magis ad ſeptentrionem vergentes. Itinere deinde per minorem Aſiam, Cyprum,

Phoenicen, Aegyptum, Libyamque facto, aditis quoque Aethiopibus, tandem ad Occidentem me contuli, fabulosasque regiones in quibus Ulyssis errores versantur, inuisi. In fine commentationis Homerica visa de Oceani natura, ambituque orbis terrarum subjeci.

ARGI-

ARGIVI, DANAI SEU ACHEI.

Nominibus his, quibus omnes gentes, Agamemnonem communem ducem evertendae Trojae secutae, comprehenduntur, in hunc populorum complexum a parte aliqua fluxerunt. Ab Argorum ciuibus, vrbis antiquissimae et potentissimae, Danai et Argivi in universum sunt dicti; Achaei ab Achaeorum gente, cui magna terrae Graecae portio cesserat *a*). Quod iidem Panachaei appellantur *b*), non nisi eo differt ab hoc nomine, quod ita universitas gentium consociatarum disertius notatur. Hellenum autem nomen

a) Strab. *Ed. Almelov.* p. 570.
b) Od. I. 239.

men aetas Homeri nondum commune omnibus Graecis fecerat *c*). Semel quidem Panhellenes apud Homerum invenimus, ſed non ſenſu poſt ejusdem tempora ſolenni, poſita vox eſt *d*). Similis eſt ratio vocis Hellas, quae Homero vrbis alicuius vel regionis nomen eſt. Vbi univerſam Graeciam ut indicaret, Argos cum Hellade junxit, ſimile quid voluit ac ubi ſcripſit: Παναλληνας και Αχαιους. Argos enim ibi aut Peloponneſum, aut Agamemnonis regnum notat; Hellas Theſſaliae partem deſignat; utrum-

c) Thucyd. I. 3. Strab. p. 568.

d) Il. II. 530. - - Παναλληνας και Αχαιους. Zenodotus et alii eum ſecuti verſum tamquam ſpurium ejecerunt. (Euſtath. *Ed. Baſil.* p. 209. 32.) Quibus Euſtathius reſpondet, ſeparatim hic ceteris Achaeis adjungi Hellenes, gentem Theſſalicam, cui Achilles praeerat, propter praeſtantiam. Paulo aliter ill. Heynium explicantem me audiviſſe memini, omne Graecorum agmen per duas partes potiores, Achillis nimirum atque Agamemnonis copias, deſignari.

utrumque vero, ut ita dicam, umbilicus Graeciae erat tempore belli Trojani, propter celebritatem ducum atque urbium

Saepe etiam Graecia ſimpliciter Argos *e*), ſaepe Achaeis *f*) dicitur. Fines huius terrae diuerſi erant ab iſtis, quibus poſtea circumſcripta eſt. Hinc Theſſalia, illinc Acarnania (poſtea ſic vocatae) extremae eius terrae erant verſus ſeptentrionem; ſupra has Pieres erant, Paeones, Aethices, Thesprotique, gentes non Graecae. A ſeptentrione tantum cum continenti connectitur; reli-

e) Aperte hoc ſonat vox hisce locis. Il. II. 287. III. 75. IX. 246. XII. 70. XV. 372. Od. IV. 99. XXIV. 37. In aliis, ubi neque contextus docet quomodo intelligi debeat, neque epitheta adjiciuntur, quae non conveniant toti Graeciae, ſed Peloponneſo tantum vel urbi, in incerto res relinquenda eſt. Quibusdam enim epithetis: ἱπποβοτον, ἱππιον, κλυτον, promiscue vrbs Argos, Peloponneſus et Graecia inſignitur.

f) Jl. III. 75. Jl. XI. 769. Od. IX. 165. 480.

quus ambitus eſt maritimus. Inſulae non omnes, quas deinde Graeci tenuerunt, ad eam pertinebant, inprimis eae tantum, quae Graeciae quam Aſiae propiores jacent; e longinquioribus Creta, Carpathus, Cos et Rhodus.

De ordine gentium in Catalogo navium perluſtratarum, varie a multis diſputatum eſt. Fuerunt qui ſudarent in cauſis excogitandis, cur tandem a Beotiis initium factum eſſet *g*). Aliis contra caſum hoc ita voluiſſe, Homerum vero nullum omnino ordinem eſſe ſecutum, placuit *h*). Tunc difficile ſane intellectu foret, cur ſummus poëta partes ſingulas enumerationis cum ſtudio impenſiſſimo elaboratas, easdem tam negligenter congeſtas effuderit. Hactenus quidem illis concedendum, eum ordinem hic non eſſe ſervatum, quo Graeci vel caſtra navesque collocaſſent vel in aciem

g) Euſtath. ad Jl. p. 199. 8.
h) Euſt. ad Jl. p. 199. 16.

aciem proceſſiſſent *i*), verum tamen ineſt in hoc Catalogo ordo, et is geographicus quidam, quem optimum eſſe Strabo et Macrobius viderunt *k*). Quinquies quaſi novam inceptam ſeriem animadvertere mihi videor (an Homerus per tot capita catalogum diſtribuere voluerit, neſcio); quas ſi ſemel recte diſtinxeris, vno intuitu univerſam Graeciam perluſtrare poteris. Prima harum, interioraGraeciae et medium quaſi corpus complectitur, Boeotiam, Locridem, Phocidem, Euboeam et Atticam, ut recentioris notae vocabulo utar. Secundam Peloponneſus implet, qua percenſita Homerus ad inſulas in mari Ionio ſitas tranſit, quibus jungit Aetoliam et Acarnaniam. Deinde inſulas ab altero Graeciae latere poſitas, poſtremo ſingula Theſſaliae regna enumerat. Commodiſſimum igitur putavi,

i) Horum enim utrumque aliter comparatum fuiſſe apparet Jl. IV. 250. — 365. VIII. 222 — 225.

k) Strab. p. 48. Macrob. Saturnal. L. V. c. 15.

tavi, hac in re quoque Homeri vestigia premere, nec ab eo ordine, qui illi potior est visus, recedere.

Boeoti *l*) seu Boeotii *m*). Postquam Thebae et domus Cadmea, paucis ante bellum Trojanum annis corruerant, divisum esse regnum inde apparet, quod quinque Boeotorum reguli adversus Trojanos militarunt *n*). Minor tunc aliquanto ambitus Boeotiae erat, quam recentiore aetate, quia Orchomenus, cum urbibus aliis quibusdam, nondum ad eam pertinebat. Flumina Boeotiae maxima ac notissima, Asopus *o*) atque Cephissus, lacus sunt multi, quorum maximi, Cephissidis, a flumine

l) Il. II. 494.

m) Il. XIV. 476.

n) Il. II. 494. 495.

o) Il. II. 522. X. 287. Est alius praeterea Asopus, prope Sicyonem fluens, alius Thessaliae; de utroque tamen hic cogitare nequeas.

mine in illum decurrente dicti, Homerus meminit *p*).

Vrbes porro Boeotorum plures commemoravit quam ullius fere Graecae gentis. Quarum tamen principem Thebas in Catalogo omisit, quippe quae aetate Trojana dirutae atque desertae essent *q*). Quotiescunque autem alias earum mentio fit, de temporibus prioribus sermo est *r*). Homero conditae atque munitae eae primum dicuntur a fratribus Amphione et Zetho *s*) qui Asopi amnis, circa quem fortasse nati fuerant, nepotes dicuntur *t*). Quod quidem, quum satis constet, Cadmum multo prius arcem Cadmeam exstruxisse,

p) Il. IV. 708.

q) Strab. p. 632. De Epigonorum bello Od. XV. 244.

r) Il. IV. 378. X. 286. XIV. 114. 323. XIX. 99. XXIII. 679. Odyss. XI. 259. XV. 247.

s) Od. XI. 261 — 264.

t) Od. XI. 259. 261.

de urbe tantum in planitie collocata accipiendum videtur.

Ceterum probabile fit, Thebis plerumque arcem Cadmeam notari, Hypothebas vero *u*) Homero easdem esse quae postea simpliciter Thebae appellatae sint; quod ut e pluribus de Hypothebarum nomine disputatis *x*) praefaram, hisce argumentis adducor. Nusquam Cadmea apud Homerum occurrit. Cum autem dicit Cadmi aut colonorum eius sobolem *y*) Thebas, cum Epigonis adversus eas conjurarent, adhuc tenuisse *z*), de arce narrari putaverim, quia in urbe sub arce posita coloni Amphionis et Zethi habitasse tunc putandi sunt. Deinde si concessum fuerit, arcem istam Thebas esse vocatam, explicari poterit, unde Hypothebae nomen traxerint, nempe quoniam sub arce sitae essent.

u) Καδμεῖοι s. Καδμεῖον. Il. IV. 385. 388.
x) Il. XXIII. 679, 80. Od. XI. 274, 75.
y) Il. II.
z) Strab. p. 632. Eust. ad Il. p. 204. 8.

essent. Contra, si a Thebis in ipsa planitie positis aliam urbem appellatam putes, non habes unde apte (το) ὑπο derives.

Inter ceteras urbes, Aulis, Thespiae (apud Homerum Θεσπεια) Erythrae, Coronea, Haliartus, Plataeae (Homerus singulariter flectit) adeo sunt notae, variisque modis illustratae, vt supervacaneum foret, plura de iis monere. Hyrien contra, Schoenum, Scolum, Eteonum, Mycalessum, Harma, Peteonem, Ocaleam, Medeonem, Glisantem, nominasse sufficiat, cum de iis plerumque nihil sciamus, praeter situm. Ilesii situs ignotus est. De Graea discrepant veterum judicia, cum alius eandem esse ac Tanagram, alius Oropum sic vocari, alius denique prope Oropum sitam eam fuisse contendat. Non procul ab hac Eleonem abfuisse crediderim *a*) siquidem inter agri Tanagraei vicos fuit *b*). Hyle, qualem eius situm

a) Il. X. 266.
b) Strab. p. 620.

Homerus perhibet ad lacum Cephiſſidem jacebat *c*). Strabo, lacum Cephiſſidem non de Copaide ſed de palude Hylica, quam ab oppido nunc primum laudato nomen traxiſſe ſcimus, accipi vult *d*). At quomodo haec, prorſus aliena a Cephiſſo, aquam in Copaidem effundenti, Cephiſſis vocari poſſit, non docet. Fortaſſe aliquando lacus Copais, qui tunc latius in dies per campos ſtagnabat, quia Cephiſſi aqua, oſtio, quo defluueret, carebat, quique quibusdam vrbibus jam inundatis, aliis ruinam minitabatur, donec aqua via occulta ſibi patefacta ſenſim abiret *e*), cum Hylice conjunctus, eodem alveo continebatur, ut itaque Hyle remotior quidem a Cephiſſi oſtio eſſet, ſed tamen ad lacum Cephiſſidem ſita recte diceretur. A Copis poſtea lacui, cui adjacent illae, nomen eſt inditum.

c) Il. V. 708. VII. 220.

d) Euſt ad Il. p. 205. 83. Strab. p. 623.

e) Euſt. ad Il. p. 205. 8. 9. Strab. p. 620.

tum. Eutresin Amphion et Zethus incoluit, antequam Thebas ii conderent *f*). De Thisbe observat Strabo, ephitheton illud πολυτρήρων cum loci natura optime convenire *g*). Oncheſtus fanum Neptuni eſt cum vico ex habitationibus disperſis hominum, qui ad illud confluebant, nato. Homerus nemora, quae templum cingant, laudat, Strabo illa adeſſe negat, cenſetque templa quaelibet a poetis ornatus cauſa ἄλση vocitari *h*). Sed fieri potuit quoque, ut loci natura immutaretur *i*). Arne multis difficultatibus interpretes implicuit; nonnulli a lacus Copaidis fluctibus ſicuti et Mideam obrutam eam narrant, reliqui lectiones novas temere inferunt. Strabo Acraephium olim

ita

f) Euſt. ad Il. p. 203. 5. Strab. p. 630. Secundum horum deſcriptionem Aſopo vicina fuit. Hoc ad ea ſpectat quae de Amphione et Zetho paulo ante monui.

g) Strab. p. 630.

h) Il. II. 506.

i) Strab. p. 632.

ita appellatum fuisse arbitratur *k*). De eo tantum modo non dubitatur Arnen Thessalicam huius esse coloniam *l*). De Nissa minus etiam constat; neque opus est ut varia nomina proferam, quae pro Nissa, quam nullam inveniebant inferere voluerunt *m*). Alalcomenarum quodammodo mentionem fecit Homerus, Minervam, cui celebre ibi templum erat, Alalcomeneidem appellans *n*). De Budio, an inter Boeotiae oppida numerandum sit, nihil statuere licet. Vbi Homerus narrat, Epigeum nescio quem ex hoc oppido ob caedem commissam ad Achillem confugisse *o*), Budium Boeoticum, non Thessalicum (vtraque scilicet terra

k) V. Hymn. in Apoll. quem Homero vulgo tribuunt v. 230 seqqv. vbi vivido colore depingitur, quanta vmbrarum amoenitate viatores ad Oncheſtum accedentes reficiantur.

l) Strab. p. 633.

m) Strab. p. 630. in fin.

n) Strab. p. 621. 622. Il. IV. 8.

o) Strab. 634. Il. XVI. 572.

terra oppidum hoc nomine habebat) Eustathius intelligendum existimat, quod probabilius sit, Epigeum ex urbe remotiore Phthiam venisse *p*), tam parum firmo quidem argumento fretus, ut alius aeque recte induci possit, ad cogitandum de Budio Thessalico, quoniam hoc propius Phthiae adjaceat.

Minyae. Secundum Strabonem Minyae populus fuere, non domus regia *q*). Etsi inter angustos fines Minyae continebantur, tamen neque multitudine hominum neque opibus contemnendi erant. Ad bellum Trojanum triginta naves miserunt *r*), imo ante Herculis aetatem Thebanos tributa ipsis pendere coegerant *s*). Haec prima ac propria gentis sedes, atque hinc Minyarum illorum

p) Eust. ad Il. 1100. 18.

q) Strab. p. 635.

r) Il. II. 516.

s) Apollod. Bibl. *Ed. Heynii.* p. 112, 13.

rum origo deducenda eſt, qui in Jolco habitarunt et in Pyliorum terra *).

Regum ſedes erat Orchomenus *t*), Minyeiae cognomine ab alia Orchomeno diſtincta *u*). Inter antiquiſſimas Graeciae urbes numeranda eſt, quae artibus vitae cultioris et mercaturae maturam operam dederunt, quippe quae divitiis priſco hoc tempore adeo pollebat, ut Thebis Aegyptiis celebratiſſimarum opum urbe harum reſpectu ab Homero aequipararetur *x*). Altera Minyarum vrbs eſt Aſpledon, proxime Orchomenum ſita.

Phocenses. Si Strabonem audias, olim fines Phocenſium latius porrecti ad vtrumque, quo Graecia ambitur, mare pertingebant *y*). At minus fidei hac in re Geographo habendum cenſeo, cum

*) Strab. p. 635. 534.

t) Od. XI. 282. 283.

u) Il. II. 511.

x) Il. IX. 381.

y) Strab. p. 637.

cum neque Homerus ullam anſam ad hanc ſententiam ſuſtentandam praebeat, et cum argumentum iſtud, quo ille rem tueri natur, nimirum, quod viderat in vrbe Daphnunte Locridis, ad mare Euboicum ſita *a*), ſepulchrum Schedii, ducis Phocenſium, ſimulac curioſius inquiſiveris, concidat. Schedius in Trojanorum terra ceciderat *b*). Dixeris ergo monumentum illud fortaſſe cenotaphium fuiſſe, et ſane concederem niſi Schedium in Panopeo habitaſſe certum eſſet *c*) quam urbem igitur Phocenſes, monumentum regi exſtructuri, prae omnibus ceteris elegiſſent.

In Boetorum confinio Panopeus, oppidum tenue, at contumelia Latonae a Tityo ibi illata, notum *d*). Quaeruntur igitur cauſae *), tum cur eam reges ſedem

a) Strab. p. 650.

b) Il. XVII. 306. ſqq.

c) Ibid.

d) Od. XI. 579.

*) Pop. Adnotatt. ad Il. XVII. 306.

dem ſuam fecerint, tum cur Homerus magnifico epitheto eandem ornaverit? *e*) ſed neutrum mirabile cuiquam videbitur, tum ſimplicitatem iſtorum temporum, tum dictionis Homericae indolem in mentem revocanti. Clariſſima Phocenſium urbs et tunc fuit, et manſit perpetuo Pytho ſ. Python *f*), poſtea Delphi vocata, ſaxoſo colli montis Parnaſſi *g*), impoſita. Iam tunc erat ſumma loci ſanctitas, graviſſima oraculi auctoritas, divitiarum in templo congeſtarum celeberrima fama *h*). Criſſa et Daulis Pythoni

e) Il. XVII. 307. κλειτος.

f) Πυθω, οος et Πυθων, ωνος. Il. II. 119. Od. XI. 580.

g) Parnaſſus etiam Antolyci ſoceri Vlyſſis ſedes erat. Od. XIX. 411.

h) Il. IX. 404. 405. Miror, hos verſus de theſauris, ſub ſaxeo templi ſolo fodefoſſis, accipi potuiſſe, atque duces Phocenſium in bello ſacro impuliſſe, vt quam poſſent altiſſime, terram intra templum effoderent. Diod. Sic. Ed. Rhodom. P. 455.

Pythoni propinquae ſunt, haec quondam inſignis Tereo regulo Thracico. Obſcurioris famae ſunt Cypariſſus, Anemoria, Litaea, Hyampolim Hyantes, illi Boeotiae olim incolae, condiderunt *i*). Circa Cephiſſum amnem Phocidem fere totam percurrentem domus ſeparatae, pagive exigui ſparſa erant *k*), frequentiſſimo hac aetate habitandi more,

p. 455. Strab. p. 644. Verbis his: ὅσα λαΐνος οὐδὸς ἔντος ἔεργει nihil amplius aperte ineſt, quam: quanta templum continet. Et profecto priſco illo tempore nondum adeo increbuerat impietas, ut ſacerdotes latronum metu tantae ſanctitatis theſaurum occultare debuiſſent.

i) Strabo, p. 616. in tempus migrationis Aeolicae hoc factum differre videtur. Quod ſi ita ſe res haberet, Homerus Hyampoli in catalogo, qui Trojanae aetatis urbes tantum continet, locum non dediſſet. Fortaſſe Hyantes a Cadmo expulſi, eam condiderant. V. Gatterer Weltgeſch. T. I. 1785. p. 274.

k) Il. II. 522.

rè, quem Homerus formulis hisce indicare ſolet: οἱ παρ ποταμον — εναιον, ſeu: οἱ — αμφενεμοντο.

Locri. E tribus Locrorum terris (quarta eſt praeterea colonia huius populi in magna Graecia), quas recentior Graeciae geographia novit, Locridis Epicnemidiae et Opuntiae tum vrbes exercitumque junctum Homerus recenſet, tum vtrique genti eundem regem praeficit, ſicuti etiam Scriptorum recentiorum plerique eas non ſeparavere *l*). Locrorum, qui Ozolae dicuntur, terraeve eorum, Parnaſſo et Phocide a cetera Locride diſterminatae, nullum in Catalogo veſtigium deprehendes. Ditionis eorum vrbes, flumina, montes nulla laudantur, neque Ajaci neque alii cuiquam regi gens ſubjicitur. Igitur vix dubitaverim terram iſtam aut omnino deſertam fuiſſe aetate Trojana, aut a populo, qui arma adverſus Trojam cum cetera Graecia non ſociavérat, inhabitatam

l) Cellar. Notit. orb. ant. T. I. p. 1115.

tam. Quorum prius probabilitate caret, de hoc, ſi priscam populi conditionem inveſtigamus, ratio ſaltem aliqua reddi poterit. Locri Ozolae, ceterorum Locrorum, ad mare Euboicum degentium, exules (quod e fabula quadam de Locro a filio ipſius Opunte pulſo *m*), facile elicias) trans Parnaſſum conſederant. Asperitas tractus, quem occupaverant, rudes eorum mores feritatemque priſcam aut nunquam mitescere paſſa eſt, aut, ſi qua erant vitae cultioris initia, ut exuerent illa, coegit. Per montes ſaltusque vagati, caprarum greges pascebant, quarum pellibus veſtiebantur *n*). Arbitror igitur, Locros nullo cum ceteris Graecis commercio junctos, (qui mos eſt populis vitam paſtoritiam agentibus, ut nihil extra fines ſuos curent) a gregibus divelli non potuiſſe, ut ad bellum Trojanum proficiſcerentur.

De

m) Euſt. ad Il. p. 210.

n) Inde cognomen eorum derivatur, ἀπὸ τοῦ ὄϊς. Euſt. ad Il. p. 209. 6.

De urbibus Locrorum pauca monenda sunt, quippe quarum nulla unquam inclaruit. Opus *o*) Patrocli et Menoetii patria *p*), postea princeps huius terrae urbs facta est. An belli Trojani tempore eadem dignitate jam fuerit, Homerus non declarat. Cynos supra Opuntem in promontorio jacet; deinde Thronium ad fluvium quendam Boagrium; supra hanc Scarphe, finitima jam Phthiotidi. Calliari, Bessae, Augiarum et Tarphes; ne situs quidem accurate a Strabone definitus est. Bessam et Tarphen a natura locorum ita fuisse appellatas, facile intelligitur *q*).

Abantes. Insulam Euboeam populus hic tenebat. Alii ab heroe quodam Abante nomen eos accepisse volunt. Aristoteles ait, Thraces, qui prius circa urbem Phocidis Abam habitaverint, immi-

o) Οποεις, εντος. contr. Οπους, ωντος.

p) Il. XXIII. 85.

q) βησση et ταφος. Strab. p. 652. Eust. ad Il. p. 210. 21.

migrasse in Euboeam et patriae nomen secum apportasse *r*), quae narratio non mediocrem veri speciem habet. Certe tum Phocis, tum aliae Helladis provinciae olim a Thracibus occupatae fuerunt. Mores porro Abantum, a moribus ceteri agminis Graeci multum diversi, alienam eorum originem probant, et optime cum Thracum moribus conveniunt. Capillis in fronte detonsis a tergo demissis incedebant *s*), ut hostes manu comam prehendere non possent. Hinc intelligitur eos galeas non gessisse. Gravissimis armis utebantur neque hastas pro jaculis emittebant, sed cominus tantum hostium corpora fodiebant *t*). Ad explicandam moris utriusque originem narrationes ingeniosae afferuntur *u*). Sed sufficere videtur ratio haec: Abantes talia instituta a majoribus accepisse.

r) Strab. p. 682.
s) Il. II. 542.
t) Ibid. 543. 544.
u) Strab. p. 685. Eust. ad Il. 213. 25.

Vrbium praeſtantiſſimae ſunt Chalcis, Eretria, Iſtiaea quae poſtea Oreus vocata eſt. Mediae inter Iſtiaeam et Chalcidem Aegae jacent. Magnificum ibi Neptuni templum fuit, quod quidem poeta noſter apte et ſuaviter in imo maris gurgite poſitum eſſe fingit *x*). Iuxta Eretriam Oechalia fuit, ab Homero quidem ipſa non memorata, at Euryto, rege illo Herculis quondam ſodali et artis jaculandi magiſtro, celeberrima *y*). Ean-

x) Il. XIII. 21. Quamquam Aegae quoque Achaicae Neptuni templum habuerint, tamen hic de illis cogitare non licet, quia nimis remotae erant. Scholiaſtes inſulam, neſcio quam, infra Euboeam poſitam affert, quam neque Strabo novit, neque Euſtathius. Cur Neptunus a Samothrace non recto itinere Trojam profectus ſit, ſed prius ad Aegas ſe converterit, elegantiſſime exponit Wood, On the original Genius of Homer. p. 132.

y) De hoc Euryto, (in aliis Oechaliis alii fuiſſe dicuntur) Iphiti patre, loquitur Homerus Od. VIII. 224. Od. XXI. 14. 22 ſqq. cf. Apollod. Bibl. p. 109.

Eandem deinde, propter inimicitias in Eurytum ſubortas, Hercules diruit z). Ad fretum, quo Euboea a Theſſalia disjungitur Dium poſitum eſt; in littore vero ad mare Aegaeum converſo, Cerinthus. Verſus meridiem in promontorium Geraeſtum excurrit inſula; in illo vicus poſitus erat nobilis portu, Atticam ex Aſia petentibus opportuno a). Huic Styra et Caryſtus vicinae erant.

ATHENIENSES SEV JONES. Atticam Jonicae ſtirpis, cuius pars Achaiam etiam ſecundum vetuſtas hiſtorias vsque ad Heraclidarum reditum tenuit, patriam fuiſſe ſatis notum eſt. Homerus tamen nullos Jones praeter Athenienſes

z) Disceptatum eſt inter veteres quamnam Oechaliam Hercules expugnaverit. Sed non eſt, quod dubitemus V. Strab. p. 688. Apollod. p. 159. et ill. Heyn. Not. p. 480.

a) Od. III. 177. Strab. p. 684.

novit *b*). Terram Athenienſium vsque ad Peloponneſum ita ſeſe extendiſſe, vt Megaris partem aliquam illius efficeret, tum inde probatur, quod nulla apud Homerum Megarenſium mentio fit, tum ex antiquo monumento juxta Corinthum, ad conſtituendos Joniae fines, poſito *c*). Ex urbibus ſolas Athenas in Catalogo memorat Homerus, et multus eſt in his celebrandis. Erechthei urbem eas dicit non a conditore *d*), ſed ab heroe indigena, cuius memoria apud populares magnopere colebatur. Deinde ſacra

b) Il. XIII. 685. — Ἰωνες ἑλκεχιτωνες. Manifeſto hic Athenienſes ita dicuntur. Nominantur enim Iones inter populos quosdam juncto agmine pugnantes. Deinde, ubi nobiliſſimus quisque ducum, qui ſingulis iſtis populis praeerant, laudatur, Athenienſium principes afferuntur. De epitheto ἑλκεχιτωνες v. Euſt. ad Il. p. 934. 6.

c) Strab. p. 601.

d) Il. II. 547. E verſibus proxime ſequentibus perſpicies, jam ante Erechtheum conditas fuiſſe Athenas.

ſacra magna deſcribit, Minervae *e*) certis temporibus facta. Marathonem vicum eſſe prope Athenas ſatis diſerte declarat *f*). Porro Sunium Athenienſium ditioni dat, in quo notiſſimo promontorio vtrumque Atticae littus conjungitur, et quaſi in cuneum exit *g*). Sunio oblique praetenditur inſula Helena. Ita vocatam perhibent, ex quo Paris, rapta Helena, huc primum navem appulerit *h*), quod Homerus in inſula Cranae factum eſſe narrat *i*). Pauſanias inſulam Cranaën Gythio opponit *k*), cuius ſententiae aduerſatur, quod haec propior Spartae eſt, quam ut ſecure Paris

 ibi

e) Ad Minervam enim rectius (το) μυ refertur quam ad Erechtheum. Euſt. ad Il. p. 214. 37.

f) Od. VII. 80.

g) Od. III. 278.

h) Strab. p. 608.

i) Il. III. 445.

k) Pauſan. Lacon. CXXII.

ibi devertere potuerit. Quidam quia insula Cythera Veneri, patronae Paridis, sacra sit, Cranaës nomine hanc designari affirmant, non satis firmo argumento freti; alii, nullius insulae nomen proprium hoc esse, sed epitheton ab Homero insulae cuidam tributum, putarunt *l*). Sane nomen hoc ab insulae natura petitum est, et optime Helenae convenit; sed hoc non impedit, quo minus nomen proprium esse potuerit. Si omnino Cranaë tunc temporis habitabatur, quippe quae saxosa et aspera erat, et Strabonis aetate deserta *m*), incolae eius haud dubie Athenienſibus cognati erant.

Salamis. Salamis insula modica, Atticae orae seu potius ipsis Athenis objacens quondam suum regem, eumque e nobilissima Acacidarum familia oriundum gloriabatur *n*). Postea Atheniensium

l) Eust. ad Il. p. 329. 13.

m) Strab. p. 612.

n) Il. II. 557.

ſium imperio paruit. Solonis aetate, lite inter Megarenſes et Athenienſes orta, propter Salaminem, quam utraque civitas ditioni ſuae vindicabat, Solon, ſecundum alios Piſiſtratus, ad Homerum tanquam divinae auctoritatis arbitrum, provocaſſe fertur, conatus ex hisce verſibus:

Αἰας δ' ἐκ Σαλαμινος ἀγεν δυο καιδεκα νηες,
Στησε δ' ἀγαν, ἱν' Αθηναιων ἱσαντο φαλαγγες o),

probare, Salaminem ab illis inde temporibus cum Athenienſium regno junctam et regulum iſtius, Athenienſium regis imperio obnoxium fuiſſe. Megarenſes contra ita recitabant:

Αιας δ' ἐκ Σαλαμινος ἀγεν δυο καιδεκα νηας,
Ἐκτ' Ἀργειφοντης, Νισαιηστε, Τριποδωντε,

quae Megaridis oppida ſunt. Sed vicit auctoritas verſus a Solone prolati, vel potius plus valuere Athenienſium opes in

o) Il. II. 557, 58.

in lite dirimenda, quorum ditioni deinde Salamis subjecta manſit. Enimvero Solonis fides hac in re a multis saepe in dubium vocata eſt; imo manifeſto demonſtrarunt critici hunc verſum interpolatum eſſe, et quidem ſatis pingui Minerva, ſiquidem ordini, quo, ſecundum poetae narrationem diverſa agmina in caſtris ſe excipiebant, repugnat *p*). Verſus alter, quo Megarenſes cauſam ſuam tuentur, ſuſpectus, quod, vt ſupra jam monui, terra Jonum ſeu Athenienſium vsque ad Peloponneſum aevo Trojano extenſa Megaridem totam complexa eſt. Adde, quod locutio in hoc verſu Homerica non videtur eſſe; in recenſendis enim oppidis, e quibus copiae profectae erant repetito ἐξ prorſus non vtitur. Perpetua eius formula eſt: οἱ δ' ἱσταν ἐνεμοντο — οἱ δ' ἀμφ' αἰγιαλὸν ἐνεμοντο — οἱ δ' Ελεων εἶχον. Vtrumque igitur verſum recte Homero abjudi-

p) Strab. p. 604. Il. IV. 327 ſqq. XIII. 681. cf. VIII. 224.

judicabis; quemadmodum et Strabo fecit *q*).

PELOPONNESI REGNA. Peloponnesum Argos, Jasum Argos, et terram Apiam nuncupari Homero putant. Nomina haec ab Argo Phoronei filio, qui toti Peloponneso imperasse dicunt, ab Jaso Argi filio, ab Apide denique itidem Phoronei filio derivant *r*). Sed talibus etymis cave, ne nimiam fidem adjungas. Etenim non raro accidit, vt regum nomina, qui nunquam vixerunt, e terrarum, quae ab illis denominatae dicuntur, nominibus fingerentur. Equidem fateor, locum Homeri me non invenisse, vbi Argos tam distincte pro Peloponneso positum inveniretur, ut contra disputari non posset, licet concesserim interdum commo-

q) Strab. p. 604. Tamen id mihi persuasum est, post Il. II. 557. aliqua intercidisse. Nimis nudum hoc foret: Aiax e Salamine duodecim naves adduxit; praesertim cum de viro summae fortitudinis sermo sit.

r) Apollod. p. 77. 78.

commode ita explicari poſſe, in quo Strabo mecum ſentit *s*). Γαμη αστυ bis legitur ita poſitum, vt ſi de terra longinqua explices, aeque bene ſenſui conſulas ac ſi de Peloponneſo accipias *t*); bis vero plane non in Peloponneſum trahi poteſt *u*). In ſex regna tunc peninſula diſtributa erat, Argos, Mycenas, Lacedaemonem, Arcadiam, Pylum, Elidem, quorum tria priora Achaicae gentis erant.

Regnum Diomedeum. Eum terrae tractum maxima de parte occupat, quem poſtea Argolidem appellarunt. Homero neque Argolidis nomen, neque aliud quidpiam, toti regno commune, frequentatur. Clariſſima in eo fama ſunt Argos, Troezen, Epidaurus, inſula Aegina. Pari gloria Tiryns gaudet, quam dum τειχιοεσσαν vocat, vni huic voci,

s) Strab. p. 570.

t) Il. I. 268. Il. III. 49.

u) Od. VII. 25. Od. XVI. 18.

voci, (en, quantum poetae artificium!) fabulam quandam intexit. Nempe immenſae molis moenibus Tiryns cincta erat, quae tenues mortalium vires ſuperare viſa, a Cyclopibus, a rege Proeto e Lycia arceſſitis, condita ferebantur *). Sequuntur Hermione et Aſine ad ſinum Hermionicum poſitae x). De Eionis et Maſete pagis nihil dici poteſt; obſcura enim eorum fama, ſitus incertus eſt.

REGNUM PELOPIDARUM s. ARGOS y). Potentiſſimum hoc inter Peloponneſi regna

*) Strab. p. 572.

x) Il. II. 560. — βαθυν κατα κολπον εχουσας. Hic videlicet ſinus in altero ſinus Argolici latere leniter reflectitur. Strabonis mentem non aſſequor, Troezenem etiam in ſinu Hermionico collocantis. p. 567.

y) Strabo quidem inter ſignificationes vocis hanc non recenſet, quam tamen eam Il. II. 108. habere nemo negabit. Eodem ſenſu accipies H. IV. 171. πολυδιψιον

gna est. Ad terras in continenti tes multae insulae, quantum assequi licet, Homero diserti clarante z), plurimae Cycladu dunt, quarum imperium non p augendam Agamemnonis pot inprimis ad naves illi suppeditand centum sexaginta solus instruxit tulisse putandum est.

Mycenae b), regni limite Argos paene tangunt. Vrbs ol lenta c), regumque nobilium s ruta est ab Argivis prioris bell

ψιον Αργος, si scriptum hoc cer simili cogitatione, ac illud Sop πολυφθορον δωμα Πελοπιδων. De λυδιψιον quantus interpretum dis videas ap. Strab. p. 569. Eust. 350. 51.

z) Il. II. 107.

a) Il. II. 576. 610.

b) Interdum et singulariter for men: ἡ Μυκηνη.

c) Il. IX. 46. πολυχρυσος.

tempore *d*). Corinthus olim reges ſuos habuerat, quorum clariſſimus ſimul et antiquiſſimus Siſyphus perhibetur *e*). Eadem Ephyra dicitur; ſed hoc nomen vetuſtius, Homeri aetate jam obſoletum fuiſſe videtur, quandoquidem, ubi poeta heroum perſonas loquentes inducit, Ephyram eam dicit *f*), ubi ipſe loquitur, verbi cauſa in Catalogo, Corinthum. Cleonae et Orneae haud procul a ſaltibus Nemeis abſunt; Araethyrea aut regionem, quae deinde Phliaſia nominata eſt, aut oppidum, quod Phlius dictum poſtea, deſignat. Sicyon ante non ita multum temporis Pelopidarum regno erat addita, ut Adraſtus etiam, antequam Argis rex crearetur, eam teneret *g*).

Reliquae urbes in littorali tractu jacent, quem hinc Arcadia et Elis, illinc Sinus

d) Euſt. ad Il. p. 219. 41.
e) Il. VI. 152. 153.
f) Ibid. 152. 210.
g) Il. II. 572.

Sinus Corinthiacus in angustum cogunt, quemque vniuersum Homerus Aegialum appellat. Ionum tunc partem in eo habitasse supra obseruatum est. Hyperesiae situm a nullo veteri geographo accurate definitum habemus. Gonoëssa promontorium a Pellene prominet *h*). Pellene atque Aegium multis saeculis post inter Achaïci foederis ciuitates fuerunt, floruerunteque. Helice miserabili interitu innotuit. Fuit ibi celeberrimum quondam Neptuni templum *i*), unde huic deo Heliconio cognomen est additum *k*). Huic Aegae vicinae sunt, quas commemorari una cum Helice existimant *l*). Sed ubicunque Aegarum nomen occurrit

h) Eust ad Il. p. 220. 46.

i) Il. VIII. 203.

k) In Sacrorum ritus ibi peractos, deinde ab Ionum gente in Asiam translatos, trahunt comparationem Homericam. Il. XX. 404. Strab. p. 589, 590.

l) Il. VIII. 203. Strab. 592.

rit *m*), res de illis narrata aeque bene, imo uno quodam loco, multo aptius ad Aegas Euboïcas refertur *n*).

Regnum Tyndaridarum s. Lacedaemon. Lacedaemon aevo Trojano praeter Laconiam, Messeniam etiam complectebatur *o*). Vbi Epitheton κοιλη jungitur cum Lacedaemone, sensu minus laxo vocabulum illud de Laconia, quae vniversa montibus ambiebatur aut de parte eius accipiendum est *p*). Quidam

 falso

m) Il. VIII. 203. Od. V. 81.
n) Il. XIII. 21.
o) Od. XXI. 13. cf. Strab. p. 564.
p) Strabo verba: κοιλην λακεδαιμονα πατασσουσι. Od. IV. 1. de Sparta intelligere jubet. De voce κατασσουσι, cuius vera vis vereor, ne sagaciſſima indagine altius lateat, copioſiſſime agit p. 564. κοιλη semper fere terrarum cognomen est: Coele Elis, Coele Syria. In Il. II. versu 581. neque urbem cogitare licet, quia statim sequitur: Φαρητε ΣΠΑΡΤΗΝΤΕ, neque universum Menelai regnum, cuius dimidia pars plana erat et minime cava. Tertiam igitur aliquam significationem in auxilium recte vocatam lenties.

falso putarunt, idem regnum Achaici Argeos nomine designari.

Spartam seu Lacedaemonem et Amyclas multis describere, supervacaneum foret. Vtraque subjecta jacet Taygeto, qui inter Messeniam et Laconiam vsque in Arcadiam a mari procurrit. Idem Dianae gratissimus fertur *q*), id est, venatio in eo erat praestantissima. Augeae, postea Aegiae vocatae, Las, Oetylus, obscura sunt oppidula; Bryseae, plane ignorantur. Helos per Helotas, quorum patria ea fuerat, famam sibi peperit. Inde terra, versus meridiem procurrit angusto tractu, promontorio Malea *r*) famosissimo olim procellis et vorticoso mari, terminata. Naves circa illud semper a cursu suo abreptas in Homeri carminibus invenimus. Quod qui potuerit non fieri, cum homines scientia rerum nauticarum destituti

q) Od. VI. 103.

r) Interdum ut plurale flectitur. Od. III. 287.

tuti semper anxie littus premerent? Juxta Maleam est Cythera insula *s*), cum oppido Scandia *t*).

Hactenus terrae proprie Laconicae loca enumeravimus; nunc de Messenia, quam Homerus Messenen nuncupat *u*) agemus. Quidam vrbem Messenen per Messen indicari existimarunt, cum vrbem ita appellatam nusquam invenirent *x*). At Messene tunc nondum condita fuit *y*). Pheris, quae in Catalogo paulum mutato nomine Phara scribuntur *z*), Dioclem habitasse scimus *a*).

s) Il. IX. 81.

t) Il. X. 268.

u) Od. XXI. 15.

x) Strab. p. 559, 60.

y) Strab. p. 549.

z) Pheras et Pharam eandem esse e Strabone p. 549. elicias. Docte et lucide rem exponit Cellar. Notit. Orb. ant. T. I. p. 1190. 1200.

a) αἱ Φηραι f. ἡ Φηρη. Od. III. 488. Il. V. 543.

Eaedem ſunt ex iis urbibus, quas Agamemnon Achilli donaturum ſe pollicetur *b*). Has omnes, vt et ipſas Pheras, ad ſinum Meſſeniacum ſpectaſſe docemur *c*). De Cardamyles et Aepeae ſitu conſtat. De ceteris Enope, Ira, Anthea, Pedaſo cum variae proferantur opiniones *d*), quarum quae ſit praeſtantior plane dijudicare nequeas, nihil ſtatuere licet.

PYLUS *e*) SEU REGNUM PYLIUM. Pylus in latere Peloponneſi ad occaſum vergente ſpatium illud occupat, quod inter Elidem et Meſſeniam patet; poſtea vero Eleorum ditionem auxit. Alpheus fluvius mediam fere ſecat *f*). Caput gentis

b) Il. IX. 151.

c) Strab. p. 549. Similiter Homerus deſcribit. Il. IX. 153.

d) Strab. p. 571-573.

e) Tota terra hoc nomine deſignari videtur. Il. IX. 153.

f) Il. V. 545.

gentis eſt Pylus *g*) quem poſtea Triphyliacum appellarunt. Cum Eliacus Pylus, tum Meſſeniacus, Neſtorem ſibi vindicarunt, vana cupidine gloriae ad ſe inde redundaturae, capti; quorum cauſa cum a judicibus rei peritis jam dudum prava et inanis pronuntiata ſit, inutile tempus tererem repetendis argumentis a Strabone prolatis *h*), aut novis excogitandis, quod facillimum foret, cum utrumque Homeri carmen iis ſcateat. Arenen circa Minyei oſtium, fluminis poſtea Anigri vocati, ſitam fuiſſe, ipſe poëta docet *i*). Inde colligitur, Samicum arcem eius quondam fuiſſe *k*). Thryon ſeu Thryoëſſa Alpheo appoſita eſt. Aepy adeo ignotum oppidum, vt, cum apud Homerum le-

 gatur:

g) De ſenſu ambiguo epitheti ἠμαθόεις, quod Pylo adjungitur, multa Strabo. p. 518. 529.

h) Strab. p. 538-542.

i) Il. IX. 721.

k) Strab. p. 532.

gatur; ευκτιτον αιτυ, disceptatum sit, quaenam harum vocum epitheton sit, quaenam nomen? Non multo notiores sunt Amphigenia, Pteleum (Thessalici Ptelei colonia) Helos, Dorium, de cuius situ quanquam nihil statuit Strabo, hoc tamen fere colligere licet in partibus Messeniae contiguis supra Oechaliam, oppidum Arcadicum, situm fuisse *l*). Cypariſſeïs Messeniae jam finibus continetur, quales aetate recentiore fuerunt; tunc illa nondum eo usque extendebatur. Phea seu Pheae in ripa rivi cujusdam Jardani sunt *m*). Fluvium Celadontem praeterea in eadem regione ponunt

l) Quod interest ad intelligendum locum Homericum. II. II. 594. sqq.

m) H. VII. 135. Eaedem omnino morantur Od. XV. 296. vbi vulgo legitur: Ἡ δε φεραι επεβαλλεν. Perperam; quandoquidem nullae Pherae sunt in tota ora quam Telemachi navis legit. Strabo (p. 540.) genuinam lectionem nobis servavit: ἡδε φεαι επεβαλλεν.

nunt interpretes, Homerum secuti *n*). At neque omnino fluvius est circa Pheas praeter Jardanum, neque Celadon is, cuius Strabo meminit, huc pertinere potest. Quo utroque nomine igitur vel eundem fluvium notari, vel το κελάδων epitheti vice fungi crediderim *o*). Strabo Chalcidem rivum et juxta illum fontes quosdam Crunos in littore Pylio laudat, ut ab Homero commemoratos. In nostris carminum Homericorum exemplaribus haecce nomina non leguntur, Sed Strabo plenius hic exemplar ad manus habuit, e quo Od. XV. post v. 294 hunc profert:

n) Il. VIII. 133.

o) Idem suspicatus est Palmerius ad Strab. p. 528. In Celadonte isto jam Graecos interpretes haesisse, inde colligas, quod lectionem mutare conati sunt: ὡς ὅτ' ἐπ' ωκυροῳ Αχειδοντι μαχοντο — Χαας παρ τειχεσσιν. Chaa Lepreaticum est oppidum. V. Strab. p. 535.

βαν δε παρα Κρουνους και χαλκιδα καλλιρεεθρον p).

post hunc demum addito illo:

δυσετο δ' ηελιος, σκιοωντο δε πασαι αγυιαι,

qui nunc versum ducentesimum nonagesimum quartum proxime excipit. Dignus sane hic versus, qui in textum recipiatur, vt pote qui ab erudito quodam et antiquo judice pro genuino habitus, novam insuper loco elegantiam gignat, eam nempe, vt iter Telemachi ita sensim procedens, magis ad veram rerum naturam descriptum nobis videatur.

ARCADES. Arcades ex antiqua Pelasgorum stirpe, nunquam e saltibus suis montibusque expulsi, diutissime prisca gentis instituta seruarunt. Pecoris pascendi cura occupati, sero in urbes coierunt. Igitur caveamus necesse est, ne loca ab Homero commemorata vrbes esse opinemur; pagos potius, valles cam-

p) Strab. p. 539.

camposve in quibus caſae ſparſim conditae conſpiciebantur, cogitare debemus.

Arcadia regio quaedam ſub monte Cyllene circa Aepyti herois tumulum fuiſſe videtur *q*), unde nomen deinde in terram gentemque fluxit, ſicuti ab alio eiusmodi loco Parrhaſia quondam dicta fuerat *r*). E montibus quos habet, Cyllene Mercurio *s*), Erymanthus Dianae *t*) gratiſſimus fingitur. Mantineae nomen clariſſimum in Arcadia eſt. Praeterea ſunt loca ſatis nota: Pheneus, Orchomenus *u*) Tegea, Stymphalus,

q) Il. II. 603, 4. Ὅιδ ἐχον Ἀρκαδίην, ὑπο Κυλλήνης ὄρος αἰπυ, Λιπυτιον πᾶρα τυμβον, ἵν' ἀνερες ἀγχιμαχηται. Verſus ſunt ambigui. Poſſis quoque vertere ſed paulo duriore conſtructione: qui Arcadiam tenebant; primum ii, qui ſub monte Cyllene circa Aepyti tumulum habitabant etc.

r) Euſt. ad Il. p. 227. 13.

s) Od. XI. V. 1.

t) Od. VI. 103.

u) Hic Orchemenus tibi forſan in mentem veniet. Od. XI. 458, quoniam cum Pylo

phalus, Parrhasia. Ripes, Stratiae, Enispes. Strabonis aetate ita vestigia omnia perierant, vt ille tum se inuenturum ea desperaret, tum, etiamsi inveniſſet, loca deserta visurum se fuisse affirmaret. Prope Messeniae fines (quare etiam a quibusdam ad hanc refertur) urbs quaedam Oechalia dicta, obscurior duabus aliis Oechaliis, sita erat, unde patriam petens Thamyris, cum ad Dorium perveniſſet, acerba ibi fata perpessus est *x*).

ELEI *y*) seu EPEI. Prius nomen a terra, quam tenebant, Elide, alterum

Pylo et Sparta ibi jungitur. Eustathius vero (ad Od. p. 448. 6.) aliis de causis Minyeium potius cogitare jubet.

x) Il. II. 594. sqq. Fuit alia Thessaliae Oechalia alia Euboeae, quarum neutra huc pertinet. Quomodo enim Thamyris, qui circa montem Athonem habitabat, (Eust. ad Jl. p. 27[illegible]7.) si aut e Thessalia aut ex Euboea domum redeundum illi fuisset, per Dorium iter facere potuisset?

y) Il. XI. 670.

rum a rege quodam traxerant. In quatuor partes distributi, totidem regulis parebant, qui omnes inter se cognati eodem gentis auctore gloriabantur *z*). Quam unusquisque partem sub ditione sua habuerit, non declaratur ab Homero, totam gentem universe percensente *a*).

Bupralium oppidum erat seu pagus, in quo unus e regulis habitabat *b*). Elidis nomen Buprasio in Catalogo postpositum, vel de tota Epeorum terra valet *c*); ea figura, poëtis usitata, qua toto aliquo laudato pars simul apponitur, vel sensu arctiore est sumtum, notatque forsan campum quendam aut vicos dispersos

z) Eust. ad Il. p. 229. 31.

a) Strabo, illata in Homeri descriptionem divisione hac, quae ei vere non inest, argutis se implicat. p. 523, 24.

b) Il. XXIII. 630, 31.

c) Fuerunt qui negarent, vocabulum hoc ita usurpari. Sed exstant loca, Od. XV. 297. Il. II. 626 in quibus aperte haec vis ei inest.

ſos, quibus in unum contractis poſtea Elis vrbs condebatur. Reliquis quatuor locis laudatis, Hyrmine, Myrſino, Petra Olenia, Aliſio, quodammodo fines Elidis definiit poëta. Petra Olenia, montium jugum ad Aegiali fines porrigitur, circa quod Caucones olim habitaſſe dicuntur *d*). Gens haec Arcadica, vitae vagae ſtudio capta, in Pylo etiam, qua ad Meſſeniam vergit, et pluribus aliis locis conſederat. Aliſium interdum etiam, quia in tractu montoſo eſt, Aleſii Colone dicitur *e*). Cyllene oppidum ideo commemorandum, quod inde duci cuidam Epeorum Cyllenio cognomen additum

d) Od. III. 366. Homerum hoc loco Caucones circa Elidem in animo habuiſſe, acute demonſtravit Strabo, cum alii Caucones Pylios maluiſſent. p. 526. 531, 32.

e) Il. IX. 756. (cf. Strab. p. 525.) Ibidem Pylii, Epeis fugientibus inſtantes, ad Buprafium, Petram Oleniam, et Aleſium perveniſſe narrantur. Ordo locorum perverſus eſt, ſi quo itinere progreſſi ſint, poëtam declaraſſe putes. At ille

ditur *f*). Ephyra, prope Fluvium Selleëntem, aliquanto clarior fuit. Vrbes plures hoc nomine fuisse, nota res est; inter quas duae Selleëntem quendam habuere *g*). Harum alteram, vicum obscurum prope Sicyonem, cum omnes consentiant, nusquam ab Homero commemorari, efficitur inde, ubicunque Selleïs addatur, hanc Ephyram dici *h*).

Duli-

ille hoc tantum significare voluit indefinitius, Pyliot alte in Epeorum terram penetrasse.

f) Il. XV. 518. Strab. p. 520.

g) Strab. p. 521.

h) Il. II. 659. XV. 531. Apollodorus fallitur, cum appositis vocibus πλοσθεν et κατυπερθε απο Σελληεντος Ephyram Thesproticam distingui putat. (ap. Strab. p. 522.) Nusquam πλοσθεν cum Ephyrae nomine junctum invenitur. Deinde per Selleëntem vrbs Thesprotica distingui non potuit, quia alius Selleïs in Elide erat. Denique, quod jam Demetrius Scepsius Apollodoro objecit, ne fuit quidem Selleïs in Thesprotia. Strab. p. 522. In re adeo confusa,

Dulichium cum Echinadibus e
Echinis *i*). In insulas has Epeoru
colonia a Phyleo, Augiae filio, erat d
ducta *k*). Quamnam insulam Hom
ras Dulichium dixerit, ab antiquis hist
ri

sa, vt videamus, quatenus in liquidu
adduci possit, singula loca excutere op
rae pretium erit. — Il. II. 659. Ap
lodorus Astyoches hic memoratae
trem Thesprotorum regem facit. (Bi
p. 155.) sed huic non multum fidei
ejusmodi rebus habendum videtur, qui
parum Nestorem quoque Messenium fing
(Bibl. p. 46.) Strabo contra monet. p. 54.
Il. XV. 530, 31. Phyleus ex Elide oriu
dus, loricam hic laudatam inde in Du
chium secum tulerat. Eandem Eph
tum famosam propter venenorum c
pium fuisse, verisimile fit, si confer
Od. II. 328. cum Il. XI. 738. 40. u
regis Eleorum Augiae filis, tanquam v
neficiorum peritissima, celebratur.
An huc referri debeat Od. I. 259 quc
Strabo facit, infra dispiciemus in The
protiae descriptione.

i) Il. II. 625.

k) Il. II. 628. XIII. 691.

ricis saepius disputatum est. Alii Dulichium eandem cum insula Cephallenia, alii cum Tapho putarunt; alii partem terrae Cephallenum, alii denique urbem aliquam Cephalleniae, Pales esse existimarunt, quae omnia Strabo Homericae descriptioni repugnare recte pronuntiat *l*). At vereor ne Strabonis sententia, qui Echinadum unam facit, ab illa aeque abhorreat *m*). Insulae hae Acheloi ostio objectae, adeoque ab ipso flumine aggestae, simul cum Oxeïs (Ὄξειαι Homerus vocat *n*) uni regulo belli Trojani aetate parebant. Quomodo vero harum exiguitas exercitum, Vlyssis copias numero ter superantem, suppeditare *o*), quomodo solum Dulichium tot paene

l) Strab. p. 699. 700. Quin cuidam in mentem venit, omnes insulas Oxeas sub Dulichii nomine comprehendi. Eust. ad Il. p. 231. 27.

m) Strab. p. 703.

n) Od. XV. 298.

o) Il. II. 630. 637.

paene juvenes nobiles alere potuiſſet, qui Helenam procarentur, quot e ceteris Ithaca, Same, Zacyntho, ſi numerum jungas, Vlyſſis domum convenerunt *p*)? Alia difficultas ex hac deſcriptione ſitus Ithacae ſuboritur:

αμφι δε (ſcil. αυτην) νησοι
πολλαι ναιεταουσιν — —
Δουλιχιοντε, Σαμητε, και ὑλησσα
Ζακυνθος.
αυτη δε (ſcil. Ιθακη) χθαμαλη
πανυπερτατη εισιν ἁλι κειται
προς ζοφον, αἱ δε τ' ανευθε προς ηω τ'
ηελιοντε *q*).

Ithaca non χθαμαλη dicitur, quaſi ταπεινη, quippe quam ſaxoſam et altam eſſe ſcimus, ſed neceſſe eſt vt vertas: Ithaca proxime terram continentem ſupra illas jacet, ad plagam ſeptentrionalem ſpectans, illae remotius in occidentem

p) Od. XVI. 247.

q) Od. IX. 22. ſqq. Strabo exponit locum p. 697.

tem meridiemve. Si tamen Dulichium ex Echinadibus eſt, multo propius continentem tangit, quam ipſa Ithaca. Hactenus de his, quae eo tantum tendunt, vt omnes opiniones huc usque prolatas Homero non convenire demonſtrem. Conjecturas enim quaslibet donec forte aliunde lux rei affundatur, vagas omnino eſſe et incertas neceſſe eſt.

Cephallenes. Gens Achaïca fuiſſe videtur; certe Ithacae incolae ſaepius Achaeorum nomine inſigniuntur *r*). Cephallenum regnum ex inſulis Ithaca, Same, Zacyntho et parte terrae continentis, oppoſitae illis, conſtabat.

Ithacae naturam ſitumque accuratiſſime ex ipſo poëta cognoſces *s*). Vrbem unam tantum habebat eodem nomine; quam ad fretum Ithacam et Samen disjungens ſpectaſſe putaverim, ſed ſupra Aſteridem poſitam, quia hanc praetervehi

r) Od. II. 87. XX. 277.

s) Od. IX. 21. ſqq. XIII. 242.

tervehi debebat, quicumque a Pelop
neſo Ithacam vrbem peteret *t*). Alt
de parte extremae inſulae verſus ſept
trionem non nimis admovere eam lic
cum ſatis magnum intervallum in
Eumaei domicilium, quod ibi erat,
vrbem ſaepius ſignificetur *u*). Pro
vrbem ita, vt inde conſpici poſſet, p
tus erat *x*). Diverſus ab hoc fuiſſe
detur portus Neïo monti ſubjectus,
Rithro erat nomen *y*). Neïus pars
aliqua Neriti *z*), cuius jugo inſula t
dividitur. Inſulae littus, qua maxi
ad ſeptentrionem vergit, in alium p
tum Phorcyni dicatum, curvatur *a*
neq

t) Il. IV. 842.

u) Od. XVII. 25. 190. 191.

x) Od. XVI. 357.

y) Od. I. 186.

z) Euſt. ad Il. p. 45. 27.

a) Od. XIII. 96. — Dubitare poſſis p
tus, quem Telemachus ſubiit, fuerit
in extremis inſulae partibus verſus me
diem, an verſus ſeptentrionem, n
na

neque procul inde Coracis Saxum abeſt cum fonte Arethuſa *b*).

In freto Ithacae et Sames inſula parvula Aſteris, eminet, cuius geminos portus Homerus laudat *c*), Strabo ne idoneam quidem eam eſſe ad ſubſiſtendum ibi in anchoris, teſtatur *d*). Si ergo Homeri deſcriptio unquam loci naturae accommodata fuit, hanc valde mutatam eſſe aliquando oportet. Same ſeu Samus, quae poſtea Cephallenia dicta, et Zacynthus, inſulae ſunt notiſſimae. Vrbis in illa, Sames ſeu Samitidem vocatae, Strabonis aetate nihil niſi ruinae cernebantur *e*). Acarnania, tunc nondum ullo proprio nomine inſignita, Homero ἠπειρος eſt et τα αντιπε-

 ραια;

navis a Telemacho in vrbem praemiſſa, neceſſario in procos inſidiantes incidiſſet, ſi a meridie adnavigaſſet.

b) Od. XIII. 408.

c) Od. IV. 846.

d) Strab. p. 103.

e) Strab. p. 698.

ραια; unde Leucadia, quae tunc nondum insula facta erat, ακτη ηπειρος dicitur *f*). Acten hanc Laërtes Cephallenum ditioni primus adjeciſſe videtur; certe principem eius urbem Nericum expugnavit *g*). Praeterea in ea ponit Strabo, Crocylea et Aegilipem *h*). Aegilipem tamen alii pro epitheto nomini Trecheae oppidi appoſito habendum exiſtimarunt *i*).

AETOLI SEU AETOLII. Aetolorum nomen etiam Curetes comprehendit. De Curetibus quandoquidem multa et varia disputata ſunt *k*), nimium ſingulis

f) Ακτη apud Homerum interdum peninſulam notat. Od. VIII. 234.

g) Od. XXIV. 376.

h) Strab. p. 693. Il. II. 633. και Κροκυλει, ενεμοντο και Αιγιλιπα τρηχειαν.

i) Euſt. ad Il. p. 232, 33. Stephanus vtramque Ithacae regionem eſſe ſcribit, quod ordini locorum in Catalogo ſervato magis eſt conſentaneum.

k) V. Il. IX. 525. ſqq. Strab. p. 710. ſqq. Euſt. ad Il. 679. 21. 680. 10. Apollod. p. 30. ſqq.

gulis his refutandis aut comprobandis immorarer. Veriſſima mihi ſedulo rem perpendenti haec viſa ſunt. Fuerunt illi antiquiſſimi Aetoliae incolae. Ab Aetolo ex Elide illuc profecto ſubacti et in Pleuronem compulſi ſunt. Longo tempore poſt, propter rixam in venatione ortam Curetes ducibus Theſtiadis, qui eiusdem ſtirpis erant cum Porthaonidis, Aetolorum regibus Calydone habitantibus Aetolis bellum intulerunt. Dento ab Aetolis Meleagri virtute ſubacta gens, ſemper his ſubjecta manſit, adeóque ipſum eius nomen interiit.

Aetoliam totam ab Occaſu ſolis praeterfluit finesque eius conſtituit Achelous, inter Graecorum amnes magnitudine ita eminens ut ab Achille majorum fluminum plerumque ignaro Oceano quoad magnitudinem non multum poſthabeatur *l*). Oppida ſunt: Calydon, Pleuron, diverſa a Pleurone nova, Ole-

l) Il. XXI. 194.

nus, Pylene, cuius vix ulla vestigia Strabonis aetate exstabant, Chalcis in littore sub monte Chalcide posita *m*).

Creta seu Cretae *n*). Insula haec nobilissima a variis diversaeque originis populis quondam tenebatur *o*). Eteocretenses seu veri et indigenae Cretenses et Cydones, qui in tractu occidentali circa flumen Jardanum habitabant, fortasse ne cognatae quidem stirpis cum Graecis erant. Etenim incolae Cretae traduntur variis tunc plane linguis vsi esse *p*), qui si omnes Graecae aut Pelasgicae originis fuissent, nullo modo hoc accidere potuisset. Primos igitur Cretae hos incolas ex Asia in eam venisse credide-

m) Alius quidam mons Chalcis s. Chalcia ab Artemidoro (apud Strabonem p. 705.) huc advocatus, cum descriptione Homerica non congruit. Il. II. 640. χαλκιδας' ἀγχιαλον. —

n) Od. IV. 199. Ex Κρηταων ευρειαων —

o) Od. III. 292.

p) Od. XIX. 172.

diderim; posteriores colonos, eos exstitisse, qui ab altero latere e Graecia in insulam immigrarent. E quibus Achaei ab extrema Peloponneso quam tenebant brevi itinere transvecti videntur, Pelasgi duce Cercaphо e Phthiotide venerunt *q*), Dorienses ex Esiaeotide, quam, antequam ad Parnassum consedissent, tenuerant, profectos esse oportet. Non tamen repugnem si quis totum hunc versum: Δοριεῆς τε τρηχαῖαι τ) θοοὶ τε Πελασγοὶ *s*), pro additamento Rhapsodi, in animum non inducentis, coloniam illam clarissimam duce Althaemene duobus saeculis post Trojae excidium in Cretam esse deductam, expungere malit. Neque enim talem coloniam Doriensium ante bellum Trojanum memoriae traditam memini,

q) Eust. ad Il. p. 690. 30.

r) Od. XIX. 177.

s) De hoc epitheto Strab. p. 729. Eust. ad Od. p. 690. 23.

nec apud Homerum Dores usquam p terea memorantur.

Homerus multus est in celebra huius insulae praestantia, quam aliqua ἑκατομπολιν vocat t), alio loco ait, naginta urbes ei inesse u). Ratio numeri diversi ex historiis de urb decem aut post Idomenei reditum e sis, aut ante Homeri aetatem cond petunt x). Mihi discrimen in eo tum videtur, quod epitheti elega numerum rotundum poscebat, cum ro poëta rem copiosius efferret, nu rum accuratius definire ipsi licebat.

Cnossus urbium Cretae et c princeps fuit et diu mansit. Ae clara fama sunt Gortyn et Lyctus. C Gortynem, Rhytium jacet, ignotum pidum. Milēti, Lycasti, Phaesti, S bo ruinas tantum vidit y). Phaesto et

t) Il. II. 649.
u) Od. XIX. 174.
x) Strab. p. 735.
y) Strab. p. 734.

promontorio agri Gortynii nomen erat z). Ibi Scopulus quidam (Maleum dici eum Euſtathius ſcribit) undarum violentiam repellens tutum portum efficit a). Amniſus oppidum cum portu eſt juxta Cnoſſum b).

Rhodus. Rhodum, antea a barbaris cultam, primum duce Tlepolemo Graeci e gente Achaica occuparunt. Tlepolemus tria oppida, Lindum, Jalyſum, Camirum, utrum condiderit ipſe, an colonos tantum per ea diſtribuerit, diſceptatur c). Homeri narratio in utramque partem accipi poteſt d).

Syme. Inſula exigua, Cariae orae objecta, nulla re memoranda ſit, niſi quod proprium regulum habuit, tenuiſſimarum inter omnes Graecorum principes opum, et quod omnium terrarum ad

z) Od. III. 296. Euſt ad Od. p. 129. 40.
a) Od. III. 293. ſqq. Euſt. l. c. 44.
b) Od. XIX. 188.
c) Strab. p. 966.
d) Il. II. 637.

ad Graecos iſtis temporibus pertinentium, haec proxime ad Aſiam accedit.

CARPATHUS *e*) ET INSULAE CUM EA JUNCTAE. Regi uni parebant Carpathus, Caſus, Niſyrus, Cos et inſulae Calydnae, quarum Caſus Carpatho adjacet, ceterae Aſiae oram propius tangunt. Per Calydnas quidam Sporades deſignari putarunt, ab una earum Calymna ſ. Calydna ita appellatas. Alii duas Calydnas fecerunt, Calymnam et Lerum *f*). Demetrius Scepſius (το) νησος ad ea, quae prius laudata erant inſularum nomina referre jubet *g*), ita ut Calydnae unicae ſint, nomen earum, ut plura vrbium nomina, pluraliter formetur; quae tamen nimis dura verborum ſtructura foret.

RELI-

e) Metri cauſa Crapathus ſcribitur.

f) Strab. p. 749.

g) Apud Strab. l. c. II. II. 676, 77. Οι δ' αμφι Νισυρον' ειχον, Κραπαθοντε, Κασοντε, και Κων, Ευρυπυλοιο πολιν, νησους τε Καλυδνας.

RELIQUAE INSULAE GRAECAE. Commodiſſimum exiſtimavi, antequam in Theſſaliam pergerem, interponere quaedam de ceteris inſulis, per mare Aegeum ſparſis, quae, licet in Catalogo Homerus eas non laudaverit, neque quo pertineant, accuratius definierit, tamen Graecorum fuiſſe videntur. De illis, quas Aſiae Thraciaeve incolae tenebant, poſt agetur.

In inſula Dia Ariadne Theſeum comitata fatum obiit *h*). Docemur, priscum hoc Naxo nomen fuiſſe *i*). At forſan, vt in cetera huius fabulae narratione Homerus a ſerioribus poëtis discrepat, etiam loco diverſo eam ponit, et Diam illam Cretae proxime oppoſitam in animo habet. Inde evenire potuit, vt interpretes, qui Naxum fabulae ſedem vulgo haberi ſcirent, concluderent, illam olim Diam eſſe appellatam.

h) Od. XI. 324.

i) Euſt. ad Od. p. 440. 24. Schol. ad Apoll. Rhod. IV. 435.

tam. Myconum ipſam Homerus r commemoravit, ſed Scopulus Gyraeus cui alliſa Ajacis navis merſa eſt, ju illam e mari exſtabat. Delum qu dam, vt plura alia loca Dianae con crata, Ortygiam dictam *l*) templ Apollinis jam Homeri aevo nobilita rat *m*). Syrum, Delo proxime ap ſitam inſulam, his verſibus deſcribi tant:

νησοστις Συρίη κικλησκεται ὲι που ακου Ορτυγιης καθυπερθεν, ὁθι τροπαι λιοιο n).

Loc

k) πετρας γυρας ſ. πετρη γυρεια. Od. 1 500. 507.

l) Fuit prope Syracuſas Ortygia inſ quondam, deinde peninſula. Fuit tygia, nemus juxta Epheſum, ubi eti natam Dianam gloriabantur. Strab. 947. 48. Ex ipſo Homero non pa in quanam Ortygia Orion ſit inte ctus. Od. V. 123. Apollodorus (p. 1 Deli hoc factum eſſe docet.

m) Od. VI. 162.

n) Od. XV. 402. 403.

Locus eſt inter impediſſimos, quique criticis interpretibusque non mediocria faceſſeret negotia. In eo omnes conſentiunt Ortygiam hic Delum dici. Το καθυπερθε varie explicarunt Bochartus, Dacieria, Popius. At ſitus Syri, quam Delo ab Occidente eſſe conſtat, vnam tantum explicandi rationem reliquam facit. Eumaeo quidem in Ithaca verſanti, proprie Ortygia ſuper Syriam poſita dicenda fuiſſet; ſed poëta, vt ſaepius, a perſona, quam loquentem induxerat, vt ſermo profectus videri poſſet, non curans, Syriam recte deſcripſit, ſi, vt ipſe, ab Aſiae ora res contempleris, perperam vero ſi ad Ithacam animo te convertas o). Porro, quod ad alterum illud: ὅθι τροπαι ἠελιοιο attinet Perraultii opinio, qui Homerum ſub circulo Tropico craſſa ignorantia Syrum poſuiſſe putat, ne digna quidem eſt, quam refutemus. Meli[illegible] rei ſatisfacere primo

o) Praeclare hac de re Wood. p. 10 ſqq.

primo intuitu opinaberis, quod a quibusdam traditur, antrum in Syro fuiſſe ſolis ſacrum, quo ſolſtitiorum tempus per ſingulos annos notatum ſit *p*); ſimulac autem propius inſpexeris, ipſis Homeri verbis obſcurius invenies. Phoenices mercaturae cauſa in inſula ſaepe hiemantes, invento aliquo *q*). vſos eſſe, ne ipſos certa anni tempora fugerent, affirmarunt alii, maxime eo in hanc ſententiam adducti, quod quadrans aſtronomicus multis ſaeculis poſt a Pherecyde, ſeu libris Phoenicum ibi inventis, edocto ſeu exemplum ab iisdem relictum imitato in eadem inſula poſitus erat. Ingenioſiſſime conjicit Woodius, incolas Aſiae, qui mare Aegeum proſpectarent, cum obſervaſſent, ſolem occidentem per tempus

p) Euſt. ad Od. p. 583. 28.

q) Si Dacierium audiamus, quadrante Blackwall quomodo eadem res minore artificio in antro fieri potuerit, docet Enquiry into the life and Writings of Homer, p. 284 ſqq.

pus aliquod magis magisque ad meridiem vergere, deinde, simulac pone insulam quandam (haec autem in Chio habitanti Syrus est) cecidisset, reverti solere, conversiones solis ibi posuisse *r*). Simpliciore ratione rem expedire conatur Eustathius *s*), voces has ita vertendo: *versus occasum solis*, advocata huc formula illa Homerica: *απ' ουρανοθεν προτραπηται* scil. *ὁ ἡλιος t*).

In una alterave harum sententiarum acquiescerem, nisi de hac Syro sermonem esse non posse e reliqua narratione animadverterem. Qui enim Phoenices a Syro domum profecti, post septem dierum prosperam navigationem, qua

r) On the original Genius of Homer p. 10 sqq. Hac tamen ratione ad unum tantum locum haec descriptio accommodata fuisset. Quicunque in Asiae ora sub alia latitudine habitabant, intelligere eam non poterant.

s) Eust. ad Od. p. 583. 26.

t) Od. XII. 381.

qua jam domum perveniſſent, iſti tempeſtate in Ithacam abripi potuiſſent? Vt incredibiles errores, quibus opus fuiſſet, taceam; plane contra rerum naturam navem circa Maleam verſus occidentem abreptam eſſe oporteret, unde ſemper procellarum vi naves verſus Cretam et Aegyptum retro auferebantur. Adde, quod inſula Syros cum ceteris Cycladibus Agamemnoni paruiſſe putanda eſt. Aut ſi regem ſuum habuit, quomodo accidit, vt ille in exercitu Graecorum non adeſſet? Porro deſcriptio Syriae *u*), quae omnis, ut ita dicam, miracula olet, cum terra remota a Graecia magis convenit; in quam etiam poëta initio narrationis deducere nos velle videtur:

νησος τις Συρίη κικλήσκεται, ει που ὀκουεις —

Num igitur Ortygia Siciliae cogitanda? Fortaſſe, (nam demonſtrare illud non habeo), locus ille in mare porrectus, in

u) Od. XV. 402-413.

in quo poſtea Syracuſae conditae ſunt, Syria olim vocabatur. Eſt ſaltem cognatio aliqua nominum. Το ὀθι τροπαι ἡελιοιο doctiores judicent, an non abſurde ita explicetur. Homines prisci, ſolem curſu diurno peracto, per portam aliquam *x*) ad Oceanum occidentalem poſitam, e conſpectu hominum abire, inde per Oceanum ſeptentrionalem ad loca, unde oriri ipſis videbatur, revehi putabant. Extremas igitur verſus occidentem terrarum partes, quas haud procul a Sicilia abeſſe opinabantur, loca converſionum ſolis appellare poterant. In Scyro inſula Achillis filius natus et educatus *y*).

x) Od. XXIV. 12.

y) Il. XIX. 326. Od. XI. 508. Scyrum ab Achille expugnatam, Enyei vrbem, Il. IX. 664, ſunt qui ſatis probabili ratione Ciliciae Trojanae oppidum faciant, quia Lycomedem Achillis ſocerum et amicum inſulae Scyro praefuiſſe conſtet. (Euſt. ad Il. p. 694. 38.) Niſi potius credere velis, Achillem inſulae ante bellum Tro-

PELASGICUM ARGOS z). Hoc Theſſaliae nomen priscum, a Pelasgis e Peloponneſo profugis, vt videtur, illi inditum eſt. Decem reges tunc eam tenebant, per ſingulas quorum ditiones nobis eundum eſt.

REGNUM PELEI. Populus ſemper ferè Myrmidonum nomine inſignitur. Eosdem tamen Hellenes et Achacos vocatos legimus a). Achaeorum nempe ſoboles aliqua mixta ibi cum Myrmidonibus, gente Pelasgica, habitaſſe videtur. Hellenes autem ſicut hi adhuc ſoli erant, ita terrae eorum, aut urbi cuidam praecipuae, proprium nomen erat Helladi. Alterum nomen terrae, ſi modo revera Hellas vocata eſt, quod equi-

Trojanum expugnatae, Lycomedem, cujus filiae amore tenebatur, praefeciſſe. Nam fabula de Achille apud Lycomedem deliteſcente, ne belli muneribus fungeretur, non eſt Homerica. Euſt. l. c. 35.

z) Il. 11, 681. Strab. p. 568.

a) Il. 11, 684.

equidem certo affirmare non auſim *b*), Phthia fuit *c*).

Flumina memorantur Sperchius atque Enipeus, quorum priorem ex amnibus popularibus maxime in honore habet Achilles, eique cognatus fingitur *d*), Enipeus ob amoenitatem celebratur *e*), Quae Homerus de Tyrus erga Enipeum amore et de Neptuni fraude fabulatur *f*), ad hunc Enipeum refero, Strabone quidem vetante, et a Salmoneo, Tyrus patre, quia vrbs Pyli Salmone condita ſit, ad Pyli Enipeum rem traducente *g*). At ſcimus Salmoneum, priusquam in

b) Commode tamen de terra accipies, quotiescunque occurrit formula: κατ' Ελλαδα και μεσον Αργος et aliis locis paſſim. Cur Il. IX, 474. potius terram quam urbem dici exiſtimem, ſtatim exponam.

c) Il. I, 155. IX, 480.

d) Il. XVI. 173. ſeqq. XXIII, 142.

e) Od. XI. 237, 38.

f) Od. XI. 237 ſqq.

g) Strab. p. 546.

Pylum deveniret, in Theſſalia vixiſſe *h*), unde et Neleus, Tyrus filius, in Peloponneſum migravit, cum Nelei fratres, Aeſon et Pelias, in patria manerent.

Vrbs Phthia aliquando regia Pelei ſedes *i*), eodem, quo Hellas fato afflicta eſt. Vtrumque oppidum olim everſum, vix ulla veſtigia ſui reliquit. De Phthiae ſitu omnino Strabo tacet; Helladem e Pharſaliorum et Melitaeenſium teſtimoniis inter ſe comparatis colligo circa Militaeam, in finibus itaque regni fere, verſus occidentem fuiſſe *k*). E ceteris oppidis, Alo, Alope, Trachine, Trachin locum occupabat, juxta quem poſtea Heraclea Trachinia exſtructa eſt. Alos et Alope, cum et Locris eiusdem nominis

h) Apollod. p. 44.

i) Il. IX. 253.

k) Diſceptatum eſt, Hellas et Phthia ſintne ὁμώνυμα an diverſa notent? Strab. p. 659. Lis facile dirimi poteſt. Vtraque vox vbi de vrbe vſurpatur, ab altera differt, vbi de terra, ad idem redit.

nominis oppida habeat, haec nonnulli minus neceſſario huc advocarunt, quando quidem conſtat eadem inveniri in Phthiotide.

PHOENICIS REGNUM. Extrema Phthiae ſecundum Homerum Dolopes accolebant *l*). Dolopiae limitem a Septentrione Pindus conſtituit *m*), ab occaſu Myrmidonum terra, quorum regibus et Dolopes paruerant, antequam Phoenici, juveni regio, propter diſcordias cum patre apud Peleum exulante, ab eodem regium in illos jus permiſſum eſſet *n*). Oppida Dolopum non memorantur.

PROTESILAI REGNUM. Copiae Proteſilai Phthii dicebantur *o*). Eiusdem ditio inter ſinum Pagaſiticum et Pelei regnum modico ambitu porrigebatur. Phylace, ſedes regum, nobilis facta eſt

l) Il. IX, 480.
m) Strab. p. 663.
n) Il. IX, 479. 80.
o) Il. XIII. 693. cf. Il. 704.

Iphiclo, Proteſilai proavo, eiusque vibus *p*). Reliqua Oppida, initic extremis regni oris facto, hoc ordir excipiunt: Antron, Pteleum, Pyr Iton. Pyraſus luco et fano Cereris tra portas eius poſito *ornatum erat* q

EUMELI REGNUM. Huic, quae p it, gens, proprio quodam nomine diſtinguitur. Terrae, quae poſtea gneſia appellata eſt, maxima de p ille praeerat. Magnetum vero alia ſedes erat. Pherae haud procul a I Boebeïde, cui ab oppidulo Boebe men fuerat impoſitum, abſunt *r*), et cipem locum tenent *s*). Glaphyrae p obſcurae ſunt. Jolcum, qui antea ſi habuerat regulum, Admetus conn Alceſtidis, filiae regis Peliae, dit ſuae adjunxit *t*).

PH

p) Od. XI, 289.
q) Il. II, 696. cf. Strabo p. 665.
r) Il. II, 711.
s) Od. IV, 799.
t) Il. II, 715. cf. Od. XI. 255.

PHILOCTETIS REGNUM. Etiam in iloctetis populum Phthiorum nomen et *u*). Fines terrae anguſti ſunt, pida exigua et ignota. Vnius tan- n, Meliboeae; ſitus certo definiri teſt. Praeterea memorantur Methone, aumacia, Olizon.

ASCLEPIADUM REGNUM. Interiora eſſaliae jam nobis adeunda ſunt. Aſ- piadum regnum, Pindo conterminum, dio Peneo ſecatur. Vrbes continet iccam, Jthomen, Oechaliam. Tricca lyta fuit Aesculapii templo admodum tuſto *x*). Inde intelligitur, hoc regni put fuiſſe. De Oechaliis Euboeae et eſſaliae jam monuimus. Quamvis haec regem Eurytum jactet, gloriam- e certaminis cum Hercule ambitioſe ectet, tamen hanc, ſi qua eſt, potius boïcae eſſe tribuendam ſupra oſten- nus *y*)

u) Il. XIII, 693. cf. Il. II, 727.
x) Strab. p. 668.
y) Confiteor, Eurytos tres caſu quodam ſingulari et quaſi ex induſtria ita compa- rato,

EURYPYLI REGNUM. Hoc, quantum equidem e finibus, quibus cetera regna circumſcribebantur, tum e ſitu Ormenii colligo, tractu illo anguſto, qui ſinum Pagaſiticum efficit, continebatur *). Ormenium, principem vrbem, Orme-

rato, ut interpretes male habeat, per tres Oechalias diſtributos, mihi valde ſuſpectos fieri. Certe vnius tantum Eurytī res geſtas traditas nobis invenio. Hic eſt, de quo Homerus Od. VIII. 224. XXI. 14. 22 ſqq. Neque video quomodo Eurytus in hac Oechalia, Aſclepiadum oppido regnare potuerit. Vtrumque igitur illud hemiſtichium Il. II. 569. — παῤ Εὐρυτου Οἰχαλιηος et Il. II. 730. — πολιν Εὐρυτου Οἰχαλιηος, aut per inſcitiam Rhapſodorum, qui diverſas Oechalias confunderent, aut per vrbium ambitionem falſo inſertum crediderim.

*) Aliquantum obſcuritatis hic inde naſcitur, quod poëta, in interiora Theſſaliae jam progreſſus, ſubito in has regiones deſcriptione ſua reſilit. Non multum abeſt, quin ſuſpicer ad antiquum et verum ordinem reſtituendum, enumerationem copiarum Eurypyli anteponi debere verſui

Ormenus avus Eurypyli et Phoenicis, cujus quidem haec eſt patria, ſagaci Demetrii Scepſii judicio z) condidiſſe fertur a). Inter loca, e quibus Eurypyli copiae convenerant, laudatur fons Hyperea, id eſt vicus ad fontem conditus.

Nomen

ſui qui nunc eſt ſeptingenteſimus vigeſimus nonus. Quo facto cuncta ſerie nunquam interrupta procedent.

z) Idem Il. IX. 447, vbi legitur: λιπον ελλαδα καλλιγυναικα, ſcribi volebat; λιπον Ορμενιον πολυμηλον. An haec lectio ſit Homerica, non facile diſcernas; iſtud cuivis obvium eſt, illam eſſe falſam. Quamcumque demum vrbem vel terram pro Phoenicis patria habere velis, ex Hellade ille non venit. Quin hoc hemiſtichio cum V. 474. collato, diſcis Phoenicen fuga ex Hellade in Helladem perveniſſe. Quia vrbs Hellas ex Ormenio Phthiam proficiſcenti remotiſſima jacet in toto Achillis regno, ita vt prius in Phthiam quam in illam perveniatur, commodiſſimum erit Il. IX. 474. Helladem de terra accipere, verſu ſequenti Phthiam de urbe.

a) Strab. p. 670. cf. Il. IX, 448.

Nomen Hypereae multis fontibus coi mune; quaenam haec Hyperea fuer nusquam traditum inveni. Certe a Sti bone allata illa in Pheraeorum vrb aliena ab hac eſt. Titanus, eſt moi ſeu oppidum in eo poſitum, cuius ea nomen, tum epitheton (λευκος) a mu calce aperte petita ſunt. Titanus ce Aſterio circa Arnen Theſſalicam ſita fu runt, de cuius ipſius ſitu nondum ſa conſtat.

POLYPOETIS REGNUM. Polypoet Lapithis imperabat, genti belli ſiſſimae. Terram Perrhaebi tenueru antequam a Lapithis cum ultra Pindu tum verſus Olympum pellerentur *b* Ad vtramque Penei ripam porrigeba inter Asclepiadum et Gunei regna. C pida continebat Argiſſam, Gyrtona Orthen, Elonen et Olooſſonem. N lum eorum memorabile eſt, praet Gyrtonam, cuius cives Phlegyae, ſic Crat

b) Strab. p. 673.

Cranonis, oppidi centum ſtadiâ a Gyrtona intra Tempe reducti, Ephyri illi Homerici ſunt *c*), Strabone teſte *d*). Quomodo vero evenerit, vt horum nomen ita mutaretur, et ut gens Phlegyarum, quam in Boeotia fuiſſe conſtat *e*), ad has regiones accederet, quas ob cauſas vtriusque oppidi incolae ſibi vicini ſempiternis bellis impliciti fuerint, ab eodem non docemur. Stephanus, Strabonem ſecutus, addit, Gyrtonam a Gyrtone Phlegyae fratre eſſe conditam. Quod ille tradit, Ephyrae cujusdam Aetolicae cives Ephyros appellari, Euſtathium induxit ad accommodandam Homeri narrationem Ephyrae huic et Phlegyae Boeotiae *f*), quarum vero altera nimium ab altera

c) Il. XIII. 301. 302.

d) Strab. in Epitom. L. VII. p. 508.

e) V. Hymn. in Apoll. Homero tributus. V. 278. Euſt. ad p. 432. 20. Stephan. Ethnic. ſ. v. φλεγυα

f) Euſt. ad Il. 904. 19

altera diſtat, quam vt hic commode eas cogitare poſſimus.

GUNEI REGNUM. Guneus praeerat junctis Peraebis et Enianibus *g*), tractum anguſtum tenentibus, hinc Pieriae, illinc Lapithis conterminum. Enianes ſimiliter ac Peraebi, a Lapithis diſperſi fuerant, ita vt pars eorum circa Oetam conſideret, cujus apud Homerum nulla ſit mentio, pars huc compelleretur *h*).

Cyphum Gunei regiam haud procul a Peneo abfuiſſe inde colligo, quod Aenianibus illud Strabo tribuit. Aenianes autem meridionaliora regni tenebant; quae ad Thraciam vergebant, Perrhaebis

g) Recentioribus Graecorum ſcriptoribus Perrhaebi et Aenianes ſcribuntur.

h) Strab. p. 675. Strabo Aenianes conſtanter Athamanes vocat. Perrhaeborum cum Lapithis bellum ante aetatem Trojanam geſtum eſſe apparet, cum Homerus Lapithis eas tribuat regiones, quas olim Perrhaeborum fuiſſe ſcimus. De Aenianum certamine cum Lapithis idem certo affirmare non auſim.

bis ceſſerant *i*). De Dodone quamquam ignota, attamen paucis monendum eſt non eſſe confundendam eam cum Dodone illa propter oraculum inclyta, quod Euſtathium in huius loci explicatione plane fugit, licet alibi diverſas eſſe eas agnoscat *k*). Cellarius praeterea *l*), hoc Homeri verſu ita uſus eſt, vt diceret Dodonen Thesproticam, Perrhaebo-rum circa Pindum habitantium olim fuiſſe. Sed cetera, quae Gunei regno tribuuntur et totus deſcriptionis contextus in hac Catalogi parte, docent de Perrhaebis ad Olympum loqui poëtam. Nec, etiamſi concederemus de iſtis Perrhaebis eſſe ſermonem, cum eorum ſedibus ſitus Dodones conveniret, quam ipſe Cellarius in confinio Moloſſidis et Theſprotiae recte poſuit, cum Perrhaebi loca circa Pindum incolerent. Plerique eorum,

i) Strab. p. 675.

k) Euſt. ad Il. p. 1074.

l) Cellar. Notit. Orb. ant. T. I. p. 1094.

eorum, qui Guneo parebant, per pag ſparſi circa Titareſium habitabant, ſ a monte Titaro per totum hunc tractu decurrens, in Peneum labitur *m*).

PROTHOI REGNUM. Prothous M gnetum dux erat, qui tunc a dext Penei latere circa Pelion montem co ſederant, vnde poſtea latius ſe extend runt. Loca ea prius Centaurorum fu rant *n*), quibus a Lapithis pulſis, M gnetes terram vacuam adiiſſe viden Oppida eorum aut fixae ſedes non la dantur.

TERRAE GRAECIA SEPTENTRIONALIORES.

Epiri et Thraciae, terrarum Graecia a ſeptentrione proxime excipientium, Ti eolis, arcta quidem cum Graecis cogn ti

m) Deſcriptio aquae Titareſii non ſtati Peneo ſe immiſcentis, ſed propter pi guedinem in ſuperficie natantis (Il. II 753.) et veriſſima eſt, teſte Strabone, e ſuauiſſima.

n) Il. II. 744. Il. XVI. 143, 44.

fuit, ſicuti et Epirus et Thraciae ma-
a pars, Macedoniam dico, ad Grae-
m recentioribus temporibus relata eſt.
am tamen cognationem ſi curaſſem,
am Pelasgos in Troade, Caucones
Aſia minore aliosque Graecis adnume-
re coactus fuiſſem. Ergo Graeci no-
nis participes feci non niſi eos, qui
ii belli adverſus Trojam gerendi ex-
erunt. Quapropter Taphios etiam,
et medii inter Graecos habitaverint
hanc commentationis partem diſtuli.

Taphii. Taphii, Cephallenibus fini-
i, ab aliis Teleboae vocati, rei na-
lis peritiſſimi erant *o*), quam non ſo-
n mercaturae gratia exercebant, ſed
am vt in oris peregrinis navibus egreſſi
amcunque praedam capere poſſent,
cum auferrent *p*). Geographi Tele-
ides inſulas plures faciunt, quarum
omerus unam tantum novit, Taphum *q*).

Qui-

o) Od. I. 181.
p) Od. XVI. 426.
q) Od. I. 417.

Quidam Taphiorum insulas cum Echinadibus male confundunt.

Epirus. Vocabulum hoc (ἤπειρος) non esse nomen proprium, sed appellativum ab insularum incolis terrae objacenti inditum, cui deinde longus vsus nominis vim impertierit, cum in Homero priscam significationem adhuc retineat, cuivis in oculos incurrit. Quamobrem etiam de finibus Epiri ex Homero certi aliquid statui nequit, nisi per totum tractum littoralem ab Aetolorum inde terra continuari Epirum vsque ad regiones tunc nondum Graecis cognitas. Vltra Corcyram igitur eam patuisse affirmare non ausim, vt sunt maxime hac de parte anguſti, limites notitiae orbis terrarum Homericae.

Alteram Epiri partem, quae ad Graeciam Vlyssisque regnum pertinebat, jam perlustravimus. Ab hac Thesprotorum terra, prima extra Graeciam sinu Ambracio separatur. Populi huius, tunc potentis et mercaturae studiosissimi, sedes

les easdem fere ac poſtea fuiſſe, inde colligo, quod prope Ithacam habitaſſe dicuntur *r*), et quod navis a terra eorum curſu vnius diei ad Ithacam pervenit *s*). Quaenam vrbs caput gentis Thesprotorum fuerit, non tradit Homerus, niſi quod ex Od. XIV. 314-9. vrbem, in qua rex habitaret, maritimam fuiſſe appareat. Ephyrae Thesproticae an mentionem fecerit Homerus, dubitare poſſis *t*); eſt tamen locus Homeri, in quo huius ſitus, narrationi de Vlyſſe ab Ephyra in Ithacam redeunte, et apud Taphios devertente *u*), melius convenit. Ibidem narratur, Vlyſſem, vt ſuccos lethiferos ad unguendas ſagittas ſibi compararet, Ephyram ſe contuliſſe *x*),

 quod

r) Od. XV. 526.

s) Od. XIV, 334-344.

t) V. ſupr.

u) Od. I, 259.

x) Ilus ille Mermerides, cujus domum petiit Vlyſſes Od. I. 259. vt eſſet Medeae et

quod in memoriam tibi revocabit Ephyram Elidis, venenis claram. At res ſunt valde diverſae, venenorum copia et ars ſagittas viro imbuendi, quo vulnus, leviſſimum licet, lethale fiat, plerumque apud barbaros tantum culta.

Dodonen, oraculo nobilem, Homerus pro Theſprotorum vrbe haberi velit, nec ne, non declaravit, recentiores ſcriptores modo Theſprotiae modo Moloſſidi tribuunt. Modum oraculorum edendorum et ritus ſacrorum pleniſſime cognosces e duobus Homeri locis collatis *y*). Cetera minus ad Geographiam pertinent; digna quae hic notentur, haec duo ſunt: Jupiter, oraculi numen, Pelasgicus dicitur, cognomine ab Heſiodo et Ephoro ita illuſtrato, vt Pelas-

et Jaſonis nepos e Mermero, quemadmodum cenſet Euſtathius ad Od. p. 54. 24. fieri non potuit. Mermerum jam puerum infantem Medea interfecerat. Apollod. p. 74.

y) Il. XVI. 233. Od. XIV. 324.

Pelasgos conditores Oraculi perhibeant z). Oportet igitur, vel Pelasgorum gentem has terras tenuisse, vel singulos quosdam advenas Pelasgos, cultum Jovis et patria sacra huc apportasse. Deinde antistites oraculi Selli dicuntur seu Helli a), quod nomen aliis cum Hellopia huius tractus provincia aliis cum fluvio Selleente, ob similitudinem casu natam, cognatum visum est. Nonnullis placuit gentem esse Thessalicam. Equidem deprehendere mihi videor e barbaro et incompto vitae genere quo Selli usi esse feruntur b), esse eos familiam sacerdotio dicatam, priscis institutis majorum, quos oraculi conditores gloriabatur, inhaerentem.

Supra Thesprotorum terram aliud regnum Epiri fuit, cuius neque situs ne-

z) Ap. Strab. p. 504.

a) Il. XVI. 234. — αμφι δε Σελλοι. Secundum alios: αμφι δε ε' Ελλοι. Eust. ad Il. p. 1074. 30.

b) Il. XVI. 235.

que fines conſtitui poſſunt; Echeti- tantum regis cuiusdam Epirotarum horrenda adverſus advenas crudelitas praedicatur *c*), a qua, ſi ad feritatem populi valet concluſio, primorum vitae humanioris elementorum expertem illam credere oportebit. Gentes, quae paulo remotius a littore tergo Thesprotorum imminebant, non memorantur. Pindum Aethices tenebant *d*), cum his Centauri, e Pelio armis Lapitharum fugati *e*). Vtrique olim perierunt. Aethices obſcuri ſunt; Centaurorum ſemifera corpora, indomita virtus, ebrietas et incontinentia in proverbium abierunt.

Thracia. Thracia latiſſime tunc patebat, deinde magis magisque coarctata eſt. De finibus eius maritimis, non opus eſt, vt moneam. Ceterum finem meridionalem Penei oſtia conſtituunt, unde limes oblique a mari reflexus, aſcen-

c) Od. XVIII. 83, 4.
d) Euſt. ad Il. p. 252. 52. 53.
e) Il. II. 744.

cendit ſeptentrionem verſus inter Thraciam et Theſſaliam *f*). Ad limitem occidentalem accuratius delineandum non ſuppetit Homerica deſcriptio; ſcimus tantum vltimos hac de parte Paeones memorari. De finibus ſeptentrionalibus, vbi ad partes illas acceſſerimus, diſpiciemus.

In univerſum poëta Thraciam tum pro Martis gratiſſima ſede *g*), tum pro ventorum *h*) maxime Zephyri Boreaeque *i*) perpetuo domicilio habet; vtrumque

F 4

f) Nomen Thraciae diſerte quidem huc vsque non extendit Homerus, ſed certiſſima hujus rei argumenta habemus haec: Sciimus Pieres, Olympi tunc accolas, Thraces fuiſſe. Juga montium circa Athonem Thracica vocat Homerus. Il. XIV. 227, 29. Idem denique non Boream ſolum ſed et Zephyrum a Thracia ſuper mare Thracicum ſpirantes, repraeſentat.

g) Il. XIII. 298-302. Od. VIII. 361.

h) Il. XXIII. 229.

i) Il. IX, 4. et multis locis paſſim.

que ratione ſatis perſpicua. Quae de fertilitate terrae, de pecoris vinique copia *k*) praedicantur, proprie tantum de tractu circa Hellespontum dicta videntur; nam interiora Thraciae tunc parum culta fuiſſe oportet. Per numeroſas Thraciae gentes vt idoneo ordine eamus a Graeciae contiguis incipiemus, verſus ſeptentrionem ortumque progreſſuri.

Pieria. Inter juga Olympi et mare, anguſto ſpatio poſita, hinc Emathiae eſt contermina, illinc Peneum tangit. Multum ab his diverſas ſedes Pierum gens, poſtea hinc pulſa, habuit. In amoenis Pieriae convallibus, ab Olympo cinctis, Apollo paſtoris munere functus eſſe fertur *l*). In ipſo Olympo quondam a gigan-

k) Il. IX. 71. 72. XI. 222.

l) Il. II. 766. Ne forte, quoniam Admeti greges Apollo pavit, ad credendum inducaris, regnum Admeti, qui Pheris habitabat, Pieriae nomine deſignari. Vſitatiſſimum erat Graecis olim, terris adhuc minus cultis, greges in paſcua externa emittere. Od. IV. 634-37.

gigantibus, bella ſuperis vt inferrent, cacumina montium trans Peneum, Pelii et Oſſae, accumulata eſſe fama erat; nata vel e magna terrae concuſſione, quo montes iſti Penei os antea obſtruentes disjecti fuerant, vel e ſitu trium montium, ſpecieque quam in ora oppoſita Aſiae exhibent *m*). Certe huic convenit ordo, quo Homerus montes ſibi invicem impoſitos tradit:

Οσσαν επ' Ουλυμπῳ μεμαασαν βεμεν, αυταρ επ' Οσσῃ
Πηλιον εινοσιφυλλον — *n*).

qui ſi inverſus fuiſſet, qualem Virgilius perhibet, Pyramidis inverſae formam inde natam eſſe oporteret *o*). Ceterum in hac narratione pœta Olympum terreſtrem *p*) ab Olympo ſuperorum *q*) clariſſime diſtinguit,

m) Wood p. 136 ſqq.
n) Od. XI. 314, 15.
o) Wood l. c.
p) Od. XI. 314.
q) Od. XI. 312.

ſtinguit, cum nempe hunc altius illo, ſed recta ſupra illum collocatum in aethere fingat.

Emathia. Huius nomen ſemel tantum in Homeri carminibus occurrit *r*), nec ullo modo fines terrae aut magnitudo qualia tunc fuerint, declaratur. Nescio an mons Athos *s*) eum peninſula, in quam excurrit, ad eam referri debeat; ſaltem inter Pieres et Edonos terram in littore praeter Emathiam commemoratam non invenio.

Paeonia. Paeones, ab aliis etiam Pelagones, a Pelagone Aſteropaei patre, quo duce Trojanis opem tulerunt *t*) vocati, regiones circa Axium fluvium in mediterraneis pone Emathiam poſitas tenebant. Caput gentis erat Amydon, oppidum olim everſum *u*) cuius de ſitu non

r) Il. XIV. 226.
s) Il. XIV. 229.
t) Il. XXI. 140. 41. 152. Strab. p. 511.
u) Euſt. ad Il. p. 272. 41.

on amplius conſtat, niſi Axium eam urſu ſuo praeteriiſſe; Axius autem totam fere Paeonum terram ſecat. Huius mnis cum aquam puram et liquidam celebret Homerus *x*), Strabo turbidis ndis eum fluere teſtetur, non opus eſt t illum mendacii vel ignorantiae reum iciamus, ſiquidem non mirum eſt, fluii naturam, rem mutationi adeo obnoxiam, per tot ſaecula inter Homeri et trabonis aetatem elapſa, non eandem ianſiſſe. Neque igitur criticorum meicina egebat hic verſus:

Ἀξιου, ὃυ καλλιστον ὑδωρ ἐπιδυεται
ἀμφ ſ. ἀιαν *y*).

ro quo ſcripſerunt:

Ἀξιου, ᾧ καλλιστον ὑδωρ ἐπικιδνατα Αιης,

uaſi fons quidam eſſet puram aquam in xium effundens *z*). Quin, alius verſus,

x) Il. II. 850.
y) Ibid.
z) Strab. in Epitome VII. p. 509. Euſt. ad Il. 272. 40.

ſus, quo eadem ſententia paulo n
locutione effertur:

Αξιου, ὁς καλλιστον ὑδωρ επι
ιησιν a).

plane eam reſpuit.

Edoni. In Edonorum dition
ſam et montem ab illa Nyſeum ſ
ſeum b) cognominatum, in quo re
curgus matronas, Bacchi feſta cele
tes, cum impio furore invaſit c)
fuiſſe oportet, quandoquidem,
quam non ex ipſo Homero, ſatis
ſtat, Lycurgum Edonis Strymone
Httore maris accolentibus, imperaſ
Situs Nyſae huius et Nyſei quamvi
curatius a nemine veterum, quo
equidem hanc ob rem inſpexi, deſi
tur, vix tamen crediderim, Hom
nominibus hisce mythice et poëtice
eſſe, id eſt, locutum eſſe e more p

a) Il. XXI. 158.
b) Νυσσηιον ſcil. ορος.
c) Il. VI. 130 ſqq.
d) Apollod. p. 190

rum qui vbivis Nyſam aliquam inferebant, cum Orgia Bacchi, diverſis in locis peracta narrarent.

Cicones. Easdem fere horum fuiſſe ſedes belli Trojani tempore, quam poſtea in littore maris circa Liſſum, Hebro ab occaſu ſolis, e ſitu vrbium quae illis tribuuntur, Ismari et Maroneae abunde perſpicitur. Ismarus vrbs maritima fuiſſe videtur *e*); Lacum Ismaridem ut aliunde ſcimus tangens. Apollinem templo nemoreque egregio Homerus ibi cultum ait *f*). Maroneam, quamvis nominatim non occurrat non omittendam putavi, propter commemoratum Maronem ſacerdotem Apollinis Ismarii *g*), a quo condita et appellata fuiſſe fertur *h*), et propter vini praeſtantiſſimi, a Marone Vlyſſi dati *i*), poſtea,

e) Od. IX. 39. 40.
f) Od. IX. 198. 200.
g) Od. IX. 197.
h) Euſt. ad Od. p. 347. 24.
i) Od. IX. 203.

poſtea ſub Maronei nomine nobiliſſimi *k*), amplam deſcriptionem.

THRACES CIRCA HELLESPONTUM. Huius populi, inter Hebrum et Helleſpontum habitantis *l*), nullum aliud novit nomen poëta, adeoque prae ceteris Thraciae incolis Thracum nomine eos inſignit *m*). Anne forte illud proprie ad hos pertinebat, deinde de ceteris gentibus cum ipſis cognatis latius uſurpatum eſt? Princeps illis urbs erat Aenos *n*) prope Hebri oſtia. Forte et Aeſyma huc referenda eſt *o*), quam cum nihil de ea commemoratum inveniatur, niſi Thraciae oppidum fuiſſe illud *p*), conjicere licet ob mulieris ibi natae nuptias cum Priamo *q*), ad partes Thraciae, Troadi vicinas, pertinuiſſe.

INSC-

k) Plin. L. XIV. c. 4.
l) Il. II. 845.
m) Il. 844. IV. 519, 20. VI, 6. 7.
n) Il. IV, 520.
o) Il. VIII. 304.
p) Euſt. ad Il. p. 106. 37.
q) Il. VIII. 303-305.

INSULAE THRACICAE. In mari o insulae Thracum, praeter Thain Homeri carminibus non memoo, sunt tres: Lemnus, Imbrus, Saracia, e quibus Lemnus plurima mertu digna offert. Olim Sinties eam erunt *r*). Eandem gentem in terra inenti Thraciae invenimus, vbi pauo commutato nomine Siati vocan*s*) Belli Trojani tempore Graecae is rex, Jasonis filius, *t*) eam tene-

Fabula de Vulcano in Lemnum Olympo dejecto *u*), quatenus est ica eius origo, inde ficta videtur, l Lymnus olim incendiis subterramaxime flagrabat *x*). Cur autem ni numen in Lemno collocaverit a *y*), licet ea qu[illegible]o interpretit bus

Il. I. 594. Od. VIII. 294.
Cellar. notit. T. I. p. 1047.
Il. VII. 478.
Il. I. 590 sqq.
Eust. ad Il. p. 119. 8.
Il. XIV. 230. 33.

bus prolata ſunt z), quaeſtioni ſolvendae non ſatisfacere videam, melius illam expedire non valeo, niſi forte Somni templum in Lemno, nec usquam niſi ibi, fuiſſe, mecum ſuſpicabere. Samothrace Homero Samos ſimpliciter vel Samos Thracica appellatur *). Ingentis altitudinis monte attollitur **), quod niſi aliunde cognitum haberemus *a*) vel ex ipſo nomine in lingua antiqua montium juga indicante colligere liceret *b*). Imbro itidem ſaxoſae epitheton tribuitur *c*).

Mysi. Ab hac Thracicae originis gente, ad ſiniſtrum Iſtri latus habitante

z) Euſt. ad Il. p. 970. 30. Pop. Adnotat. ad h. l.

*) Il. XXIV. 78. XIII. 12. 13.

**) Il. XIII. 12. ſqq.

a) Plin. IV. c. 12.

b) Strab. p. 702. 532.

c) Il. XIII, 33. XXIV. 78.

tante *d*) profecta est colonia Mysorum, qui in Asia minore confederant, quique inter copias Trojanorum auxiliares numerantur *e*). Si qui dubitarunt, vtrum Europae potius Mysos an Asiae poeta dixerit his versibus:

Νοσφιν εφ' ἱπποπολων Θρηκων καθορωμενος αιαν,
Μυσων τ' αγχεμαχων, και αγαυων Ἱππημολγων *f*) —

magis hi dubitandi libidine, quam argumentorum pondere moti sunt; cuique in oculos incurrit, Jovem in Ida sedentem, Mysos Asiaticos ab oriente et meridie ipsi positos, simul cum Scythis, remotissimis versus Septentrionem, plane non adspicere potuisse. Ceterum poëta, Mysos inter Thraces et, quos vocat, Hippemolgos ponens, ipsius vel belli Trojani tempore easdem fere sedes, quas

d) Strab. p. 453.
e) Il. II, 858.
f) Il. XIII, 4.

quas Strabo illis dat, tenuiſſe, indic videtur.

Populi ultra Istrum. Ex vicinos Myſis cognitos habuiſſe cen dus eſt Homerus, ſi quidem juſtiſſi vitae eorum deſcriptio pro ſigno cer cognitionis habenda eſt. Quis non det indolem, inſtituta, ſimplicitatem morum Scytharum veterum vel Sar tarum veriſſime his verſibus expr eſſe:

— αγαυων Ἱππημολγων
γλακτοφαγων, ἀβιωντε, δικαιο
των ανθρωπων? g)

Quid quod et noſtra aetate populis risque ibi habitantibus iſta conveniu Grammatici dubitarunt, nescio quam epte, vtrum αγαυων pro nomine propr ἱππημολγων pro epitheto habendum ſit, vice verſa h)? Perſpicitur vtraque, ſi et cetera vel epitheta eſſe vel cognomi a Graecis, veri nominis ignaris, popu cuidam indita. Attamen Abios quosd

g) Il. XIII. 5. 6.
h) Euſt. ad Il. p. 880. 45. Pop. ad h. l.

a ſcriptoribus nonnullis, tanquam populum proprio nomine ita dictum, laudari video *i*) quos e ſolo Homero hoc deſumſiſſe, cum vocis ἀβιοι vera vis jam olim interiiſſet, vt adeo facile in ea falli poſſent, nullus dubito *k*). Morem greges equarum paſcendi et carne et lacte equino vescendi, vir clariſſimus, Pelloutier, obſervat, Sarmatis nomadibus, non autem Celticis frequentem fuiſſe, et populos ab Homero deſcriptos e Sarmatarum ſtirpe fuiſſe inde concludit *l*).

REGNUM TROJANUM.

Priami regnum totam illam peninſulam occupaſſe, quae a limite, ab Aeſepi ad Caici Oſtium ducto atque pau-

 lulum

i) Ab Aeſchylo et Arriano ap. Euſt. ad Il. p. 881. 8. Ammian. Marcellin. L. XXIII.

k) De vocabulo ἀβιοι v. Strab. p. 454. 55. et Euſt. ad Il. p. 880, 81.

l) Pellout. Hiſt. des Celtes. T. I. p. 248.

lulum in Myſiam introrſus flexo, verſu Propontidem, Hellespontum et Aegeum mare excurrit, in univerſum declara poëta, ſubjiciendo Priami imperio omnia Lesbo, Hellesponto et Phrygia inclu ſa *m*). Sed diſtinctius etiam e finibus no vem provinciarum regni colligitur. Di ſerte quidem nusquam Homerus affirmat Priamum, harum ſummum regem, re gulos ipſius imperio obnoxios illis prae feciſſe, ad quam ſententiam et vetere omnes et recentiores conſenſerunt; a certa huius rei veſtigia in Iliade cernun tur, quod oppida viginti tria ab Achille expugnata, quorum et Lyrneſſus et Pe daſus et Thebae erant, Trojae oppida dicuntur *n*); quod Lycii, qui Panda rum ducem ſequuntur Troës vocan tur;

m) Il. XXIV. 543 - 46. Proprie quidem Phrygia Troadis finis dici non poterat, Myſia alteram ab altera diſterminante. Achilles igitur aut non tam accurate loquitur in ſermone affectuum animi vehementiorum pleno, aut ex induſtria res in majus auget.

n) Il. IX, 329.

o); quod et Aeneas, Dardaniorum dux
ilo principis Trojani ornatur p), et
a plura q).

Si praemiſſis iis, quae de oris re-
l, de montibus fluviisque in univer-
n moneri debent, tunc demum per
gulas provincias eundi initium faci-
is, ſperamus fore ut in uniuscuius-
e ſitu finibusque conſtituendis tutius
rſari poſſimus.

Littus Troadis occidentale a locis
sbo extremae oppoſitis incipit. Inde
r varios ſinuum flexus continuatur
que ad Gargarum promontorium, quod
er altiſſimos Idae montes eſt. r) In-
hoc et Lectum promontorium littus
:tum cum montium jugo porrigitur.
quitur Sigeum, nobili fama promon-
ium, licet a poëta noſtro ſilentio
aetermiſſum. Sigeum Helleſponti
risque Aegei terminus eſt. Curſus

o) Il. XX. 83.
p) Il. II. 826.
q) Strab. p. 875-77.
r) Il. XIV. 157. cf. 292. Strab. p. 874. Wood p. 322.

Helleſponti re vera vehemens eſt, *s*) qualem Homerus declarat. *t*) Quod vero idem latum eum vocat, *) e ſpecie naturaque Helleſponti derivari debet, qui, fluvio ſimillimus, ab hominibus priſcis, quorum nec ſermo nec ingenium ad diſcrimina rerum accurate perſpicienda comparata erant, pro fluvio vere habebatur. *u*) Verſus Propontidem Troadis ora usque ad Cyzicum inſulam patet. Omnem tractum, oris huc usque deſcriptis incluſum, Ida implet atque montium ambagibus variis modis ſecat. Etiam apud Homerum Idae nomen in tam multiplex montium jugum patere, neque de ſimplici tantum monte uſurpari, e ſitu fontium ſeptem fluviorum qui ab Ida lapſa dicuntur, *x*) et e Gargaro

s) Wood. p. 320.

t) Il. XII. 30.

*) Il. VII. 86.

u) Wood. p. 320, 21. Eundem et Herodotus fluvium malignum appellat.

x) Il. XII. 19-22.

garo *y*) et Lecto *z*) ad Idam relatis, apparet. Ida gratiſſima Iovi inde etiam Idaeo dicto ſedes, *a*) fingitur. Eidem in Gargaro templum erat exſtructum. *b*) Fluviorum Troadis, ab Homero commemoratorum, ab extrema verſus orientem ora incipientibus Aeſepus *c*) primus eſt. Careſus *d*) a Mallunte fluens apud oppidum Careſum in Aeſepum effunditur. Rhodius *e*) a dextro Careſi latere natus aquam iungit cum Aenio in Aeſepum deinde exeunte. *f*) Granicus amnis celebratiſſimus et ipſe ſicut illi ab Ida originem habet; *g*) huic qui immiſ-

 ſcetur

y) Il. VIII. 47. 48.
z) Il. XIV. 283. 84.
a) Il. XVI. 604. 5.
b) Il. VIII. 48.
c) Il. II. 825.
d) Il. XII. 20.
e) Ibid.
f) Strab. p. 899.
g) Il. XII. 21.

ſcetur rivus, Rheſus *h*) eſt ſaltem e metrii Scepſii conjectura *i*), cuiu Troadis notitia maxima eſt auctor Poſt hunc Practius eſt *k*) qui inter dum et Lampſacum in Hellespor defluit *l*). Ne Practium pro o nomine habeamus, quippe quod nusq in ea regione inveniatur, monet Strab Rivum quendam Selleëntem juxta ben fuiſſe ſcimus *n*), de cujus i ſitu nihil amplius conſtat niſi vic Abydo et Lampſaco fuiſſe. Rhodii ſunt inter Dardanum et Abydum noſſemati oppoſita *o*). Cum Troas

h) Il. XII. 20.

i) Ap. Strabon. p. 899.

k) Il. II. 835.

l) Duo fluvii in tabula Danvilliana Abydum et Lampſacum expreſſi ſunt, rum alter Practius ſit, quo discer non habeo.

m) Strab. p. 883.

n) Il. II. 838. 839.

o) Strab. p. 889.

ius nominis flumina habeat, neque cerni queat, altervtrum Homerus denare voluerit, neutrum omittendum xi.

Sequuntur jam Simoïs et Scamanr, quibus Homeri carmina aeternam nam pepererunt. Scamandro olim ntho nomen fuerat *p*), quod ipſe Horus non niſi de numine flumineo vſurt. Huius amnis et naturâ et ſpecies, ɔut mutantur anni tempora, mirum modum variant. Woodius, qui aeſtaeum inviſit, adeo imminutum tenuque tunc illum fuiſſe ait, vt prae inopia uae ne perpetuo quidem curſu in mare laberetur. Idem ex accolis compe-, clariſſimisque veſtigiis deprehendit, anta vi ille, hibernis imbribus alveo immenſum ſpatium dilatato, loca adentia devaſtet *q*). Poſteriorem Scamdri conditionem haud obſcure indit poëta, ubi narrat equos vivos pro

 ſacri-

p) Il. II. 73. 4.
q) Wood. p. 326-28.

ſacrificiis in Scamandro mergi, vt undarum vi abripiantur *r*). Nascitur Scamander, teſte Demetrio Scepſio, e Cotylo, monte praealto, unde et Granicus et Aeſepus decurrunt *s*). Cum hoc conſentit Wodii deſcriptio, tum ſaxi fontem emittentis, tum ſpatii a fonte fluvii ad oſtia producti *t*). Idem exiſtimat, ſicut ibi multarum rerum faciem, terrae motus aliaeque cauſae novaverint, ita Homerica aetate plane alium fuiſſe Scaman-

r) Il. XXI. 130-32. Num forte et ſubitas iſtas fluminis mutationes innuere voluit poëta in narratione de Achillis cum Scamandro pugna? Nonne, ſi illam, miraculorum velamentis detractis, ad veram rerum naturam exegeris, haec fere erit, Achillem quondam, cum nimus audacter amnem adhuc tumentem natando ſuperare vellet, in magnum vitae periculum deveniſſe, deinde brevi poſt illum vehementia caloris adeo exaruiſſe vt exuſto ſimilis exiſtert?

s) Str. p. 898.

t) Wood p. 323. 24.

ımandri fontem, multo minus in meerranea recedentem *u*), motus verus hisce:

συνω δ' ικανον καλλιρρόω, ενθαδε πηγαι
αι αναϊσσουσι Σκαμανδρου δινηεντος x).

tere enim hinc, fontes Scamandri ad ùm vrbis ambitum fuiſſe, cum apud ıtem Scamandri, qualis nunc ſit, vrbs llo modo jacere potuerit. Fontem porro idum, alterum e geminis ab Homero deiptis, quem quidem Strabo ibi eſſe, dite negat *y*) multo infra illum, qui hodie amandrum emittat, oriri. Simoïs ad xtrum Scamandri latus defluit. Ambo is amplum curſum emenſi in unum reum coëunt *z*). Non ſemper eunm manſiſſe confluentem eorum, peraſerunt Woodio *a*) clara veſtigia alveorum

u) Wood p. 329-331.
x) Il. XXII, 147. 48.
y) Strab. p. 899.
z) Il. V. 774.
a) Wood p. 331.

veorum, qui olim flumina capiebant *). Deinde in planitiem delata plerumque per campos adjacentes ſtagnant, ita vt aquae ipſorum minima pars juxta Sigeum Hellesponto immisceatur, reliqua omnis in pratis paludoſis diſſipetur. In oſtio Scamandri adgeſta eſt, adgeriturque ſemper terra limoſa, qua non paucis ſtadiis hac de parte auctum littus, Hellespontus coarctatus eſt *b*).

Reſtant

*) Ill. Heynius in diſſertat. De acie Homerica in Nov. Commentar. Societ. Regiae proponit conjecturam, Scamandrum et Simoentem olim diverſis locis in mare ſe exoneraſſe, et Homericum illud Il. V. 773-5. ita eſſe accipiendum, vt amnes iſtos aliquo in loco anfractu interius verſo propius ad ſe invicem deflexiſſe putemus, qua ratione innumeris difficultatibus occurritur. In pluribus aliis quoque, fructum egregium ad lucidius declarandum locorum circa Troiam ſitum, ex iſto libro cepiſſem, ſi nondum conſcripto libello inſpicere illum potuiſſem.

b) Strab. p. 890. Wood p. 329.

Reſtant flumina duo, nequaquam pari celebritate, Satnioïs *c*) et Heptaporus *d*). ſatnioïs inter Lectum et Gargarum exit. Heptaporo curſus obliquus nominis origo fuit. Septenis nimirum vicibus tranſeundus erat a Cyllene ad pulchram Piceam proficiſcentibus. Haec res declarat etiam, ubinam curſum finis habuerit, cum pulchram Piceam CLXXX ſtadiis ab Adramytto in ſeptentrionem remotam ſciamus *e*).

E provinciis regni Trojani primum illarum quas Diacosmus exhibet recenſum faciemus, deinde ad illas pergemus quarum obiter tantum alias mentio facta eſt.

HECTORIS PROVINCIA. Gens, cui Priamus, et huius aetate jam imbecilla, Hector imperabat, Trojani erant, arctiore

c) Il. VI. 34. Falſo, Strabone quidem judice p. 902. Scripſerunt quidam Il. XXI. 87. ὑπο Σατνιοεντι pro επι.

d) Il. XII. 20.

e) Strab. p. 899.

ctiore vocabuli ſignificatione. Latiore enim ſenſu Trojani vocabantur in univerſum provinciarum Priamo ſubjectarum incolae. An ſimili ratione Trojae nomen, quod in univerſam Troadem valere ſupra oſtendimus *f*), ſingulam Hectoris ditionem interdum deſignet, certo affirmare non auſim; pro vrbis nomine idem, raro quidem, ſed aliquoties tamen aperte vſurpatur *g*). Finitimos habebat Hectoris provincia ab ortu ſolis Dardanios, a meridie Leleges, de quorum vtrorumque finibus accurati nihil traditum eſt. In Helleſponto limitis initium ponendum videtur inter Rhoeteum promontorium et Dardaniam Aeneae ſedem. Certe, ſi huic argumento confidere licet, in Ophrynio quod oppidum vltra Rhoeteum, verſus Dardanum fuit, Hectoris Sacrum monſtrabatur *h*). Hinc limes deducendus eſt vsque ad

f) Ex Il. IX. 329.
g) Il. VIII. 241.
h) Strab. p. 889.

d agros Scepſios, a Demetrio Aeneae dioni vindicatos. Hac de parte Scamanrum vtriusque provinciae finem idem)emetrius conſtituit. Cebreniam, quae cis camandrum erat, ab agro Scepſio eam iſterminantem, tum quod Paridis et)enones in eo monumentum inveniatur, im quod vrbs Cebrene a Priami filio ebrione nomen acceperit, ſuſpicatur itionis proprie Trojanae eſſe *i*). Inde mitem quam fieri poteſt maxime verſus ieridiem Lectumque extrahendum, quam lurimum Hectoris provinciae dandum, xiſtimo, quoniam copiae Hectoreae ceeros ſingularum provinciarum exercitus umero longe ſuperarunt *k*). Totius regni aput, Ilium *l*), vrbs tum divitiis, tum mplitudine, munimentorumque firmitate

i) Strab. p. 891. 92.

k) Il. II. 817.

l) Homero vox feminina eſt ἡ Ἴλιος. Apud recentiores quibus Homerus exemplo ſuo praeivit (Il. VIII. 241.) conſuetudo evaluit vt eam non amplius Ilium ſed Trojam appellarent.

tate *) excellens per paucos tantu
nos floruit, quippe quae ab Ilo F
avo condita *m*), Priamo adhuc ſup
concidit. Arcem habebat Perga
colli impoſitam *n*), quae Prian
giam *o*) continebat. Quaeſtio d
Trojae, licet in turbanda ea vans
riatio recentiorum Ilienſium,
Ilium apud ſe jactantium *p*), et

*) Il. XXI. 446.

m) Il. XX. 235, 36. Ante Ilum Da
regum ſedes fuerat. Il. XX. 216.

n) Altum et praeruptum hunc fuiſſe
tur Il. IV, 508. Od. VIII. 508. E
ob cauſam vrbs πεμοεσσα et οφρυοεσ
citur.

o) Il. VI. 316. 317.

p) Supervacaneum foret argumenta
bus rei periti novae Trojae cives r
cii jam dudum arguerunt, e Str
(p. 892 - 98) repetere. Sufficit,
novi Ilii, quod duodecim ſtadiis q
dimidia ſaltem pars poſt Homeri a
adgeſta eſt ab Helleſponto Graec
que caſtris aberat, bene animo
piſſe, ad omnem de ea re dubitat
expellendam.

rata longo aevo terraeque motibus locorum facies conſpiraverit, non adeo impedita eſt, vt nihil omnino certi de ea ſtatui poſſit, praeſertim cum Woodii opera praeclaram tabulam nobis ſuppeditaverit. Sed opus eſt ut rem, dignam, quae proprio libello disputetur, breviter hic complectar. Primo loco monendum eſt, Ilium non in Idae radicibus, ut Dardaniam, ſed in planitie ſtratum fuiſſe *q*). Collem itaque quo arx ſita erat, non ita attollebatur, cum Ida non conſpiceretur, campisque planis cinctum fuiſſe oportet. Scimus porro fontem calidum e ipſis muris ebulliiſſe *r*). Vrbem interfluit Simoïs, qui confluente Simoëntis et Scamandri fluvio neceſſario inde ſequitur, quod in campum hunc Simoënte circumfluum Troiani et Graeci ad pugnandum

q) Il. XX. 215.

r) Mirum eſt, Woodium oblitum eſſe, fontis huius mentione facta, ſitum eius declarare.

dum progredi ſolebant *s*). Ex alii pugnae deſcriptione intelligitur, vrbe a dextro Scamandi latere inter ipſum Simoëntem ſitam fuiſſe. Pugna nim rum iſta inter Simoëntem et Scamandru fit, vbi plerumque pugnari ſolet *t*); dei de Trojani in fugam verſi, agmine d viſo, pars recto itinere Trojam petun pars Scamandrum ſuperare conantur *u* Patet inde, vrbem e campo Scamandri ſubituro Scamandrum transeundum nc fuiſſe, adeoque vrbem eidem flumin ripae, cui campus ille praetenditur, a jacuiſſe. Denique vrbis in hoc tract poſitione comprobata, ſupereſt vt ſi tuatur aliquid de longinquitate eius a Helle

s) Il. VI. 4. cf. Il. II. 464, 65. Ibid. 81(II.

t) In hunc locum pugnae quae a Libro XI incipit, tum aliis argumentis deducimu tum maxime eo, quod Mars Trojanos Callicolone colle ad Simoëntem in eoden campo poſito illis adſtat Il. XX. 53.

u) Il. XXI. 1—8.

onto. In universum tantum mo-
s, tutissime hic medium cursum
cum quidem magnum inter vr-
castra Graecorum intervallum
diserte declaratum sit x), et ex
um narratarum natura appareat;
autem de parte, nimia longin-
rohiberet, quo minus res, quas
is unius diei acta fuisse vult, co-
: geri potuissent.

aeter Ilium, quae in hac provin-
memorantur, haec sunt: Thym-
idulum Thymbridi amni appos-
at. Is est rivulus, quem tabula
Woodiana exhibet currentem
amandrum et Simoëntem, quan-
m huic convenit, quod Strabo
ymbridem prope vetus Ilium, a
inquaginta stadiis remotum fluere.
s, insula notissima, templum
is Sminthei satis clarum habe-

H 2 bat

X. 209, 210. XVIII. 256. Od. XIV.
).

bat *y*). Oppidum eius Achilles de
rat. Pedaei z), quod obſcurum T
dis oppidum Euſtathius dicit *a*), ·
modiſſime hoc loco mentionem fier
iſtimo, cum cuius provinciae fuerit,
ditum non habeam, eaque Priamo
gnata vrbs fuiſſe videatur, vt in qu
liam elocaverat *b*).

AENEAE PROVINCIA. Longo a
ſtoque tractu inter Hectoris et M
pidarum ditionem porrecta haec a fr
Hellespontum habet, a tergo Lel
Cilicesque. Incolis eius et Dardani
nomen, et Dardanis *d*) erat. Ex r
bus eius ſola Dardania laudatur in h
rem conditoris Dardani ita appellat

Cc

y) Il. I. 38.
z) Il. XI. 624.
a) Euſt ad Il. p. 895. 40.
b) Il. XIII. 173.
c) Il. II. 819.
d) Il. VIII. 173.
e) Il. XX. 215. 16.

itam hanc fuiſſe ad Idae radices, erus memoriae tradidit *f*). Prae- nulla ſitus eius monumenta habe- vtpote, cuius Strabonis aetate jam veſtigia exſtarent *g*).

PANDARI PROVINCIA. Vltimam verſus Myſiam regni Trojani par- ycii tenebant, quos plerisque lo- parat poëta a Trojanis *h*), inter- amen confundit *i*). Lycios Aphneo- cognomine a majoris Lyciae inco- lingui putant his verſibus:

ἐς Ζελειαν ἐναιον ὑπαιπόδα νειατοὶ Ἰδης,
Φρύγιοι, πίνοντες ὕδωρ μελαν Αισηποιο,

Il. XX. 218.

Strab. p. 885. Diſtinguit igitur Geogra- hus veterem illam Dardaniam a Darda- io, ſuperſtite adhuc ipſius aetate oppido.

Quotiescunque hac Troianum agmen lloquendi formula vtitur: Τρωες και Λυκιοι.

Il. II. 826,

cujus vocis ἀφνειὸς veram hanc esse ibi vim, hoc argumento probant, nescio an satis valido: in Lyciorum terra inveniri paludem quandam Aphnitidem *k*). Habitationes Lyciorum ad vtramque Aesepi ripam erant; vrbs eorum vel sola, vel princeps *l*), Zelea, sub extrema Idae radice posita erat *m*), quam Strabo centum nonaginta stadiis a Cyzico, octoginta a littore proximo reducit *n*).

MEROPIDARUM PROVINCIA. Ab oriente sole Lyciam, ab austrino Asii provinciam conterminam habebat. Nullum populi hanc provinciam incolentis proprium nomen memoratur. Laudatur in illa Adrastea, quo communi nomine cum oppidum inter Parium et Priapum, tum ager illi adjacens appellatur *o*), vt adeo

k) Strab. p. 878.
l) Il. IV. 103.
m) Il. II. 824.
n) Strab. p. 878.
o) Strab. p. 879.

eo non facile dijudicaveris, Homerus
rasteam terram an vrbem dicere vo-
rit *p*). Ab aliis veteribus Adrastea
m Pario, quam tamen Strabo aetate
ojana nondum conditam fuisse, ait *q*),
nfunditur atque pro eodem oppido ha-
tur *r*). Paesum *s*) seu Apaesum *t*)
m eversam vrbem inter Lampsacum
Parium eiusdem nominis fluvius prae-
rfluebat *u*). Pityea, a natura loci
onti pinifero subjecti ita dicta, inter
rium et Lampsacum posita erat *x*).
e Terea duplex interpretum est judi-
um. Quidam montem in Pirosso pro-

p) Il. II. 828.
q) Strab. p. 882.
r) Cellar. Notit. T. II. p. 37.
s) Il. V. 612.
t) Il. II. 828. — καὶ Δήσσου Ἀπαισόν. Vocabulum δῆσσα apud Homerum saepe de urbe terrave vsurpatum, mille locis locutioni periphrasticae inservit. v. c. ἐ δήμῳ Ἰθάκης pro ἐ Ἰθάκῃ.
u) Strab. p. 881.
x) Strab. p. 880.

pe Zeleam, alii montem aliquem quadraginta ſtadiis a Lampſaco diſtantem proferunt *y*). Prior ſententia minus videtur probanda, quia, quae Zeleae adjacent ad Adraſti et Amphii provinciam pertinere nequeunt.

Asii provincia. Continentur ea Percote, Practius ampis, Seſtus, Abydus, Arisba. De Percotes ſitu non amplius conſtat, niſi inter Lampſacum fere et Abydum eam poſitam fuiſſe *z*). Alio loco Percope occurrit *a*), quam Euſtathius diverſam a Percote Troadis vrbem fuiſſe cenſet *b*), diſſentiens a Stephano Percoten

y) Strab. p. 881. Legitur ibi: τα δε περι Ρηση ορος οι μεν τα εν Παριασσω, ορη φασιν, falſo pro: τοδε Τηρηης ορος. Sic et in Homero ad quem Strabo hoc loco reſpexit nomen ſcriptum eſt, et Euſtathius, Strabonis deſcriptor, manifeſto ita legit (ad Il. p. 269. 43.) Corruptelae cauſa fuit ſequens illud αγιον της Ρησ.

z) Cellar. T. II. p. 49.

a) Il. XI. 229.

b) Euſt. ad Il. p. 776. 40.

m Percopen esse dictam affirmante,
taceam, nusquam Percopen exhi-
Percotes situs rei apud Homerum
rcope narratae optime convenit,
mantis nempe, e Thracia circa Hel-
tum in Troadem transvecti, clas-
Percopes portu subsiterat *c*). Si
pronuntiare licet, Percoten ac
)en eandem esse, sequitur illam
mam fuisse. De Practio jam su-
onuimus. Formula haec: *ὁι Περκω-
ἀφενεμοντο* solennis poëtae est, vbi
: hominum habitationes circa flu-
ontemve describit. Sestus Thra-
roprie vrbs, sed septem stadio-
reto tantum ab Abydo disjuncta,
)do in reguli Trojani ditionem ve-
per se intelligitur. In Abydo
im pascua Priamo erant *d*). Arisba
)rsan non ita tenuis, vt pote quae
sedes Asii, fuit *e*), certa situs sui

l. XI. 227.
l. IV. 499, 500.
. II. 839.

veſtigia non reliquit. Hoc tantum ſcimus eam juxta fluvium quendam obſcurum Selleëntem *f*) prope Abydum et Lampſacum fuiſſe *g*).

Altae provincia. Troadis populis iis perluſtratis, quos Catalogus laudat, proximi ſunt Leleges, quibus Altes imperavit, poſt hos Cilicum duplex provincia. Vltima Cetei tenent. Letegum, quantum ex vrbis eorum principis Pedaſi ſitu conjicere licet, littus inter Lectum et Gargarum fuit. Nonnulli Leleges hos Cares appellarunt, quanquam vtrosque Homerus diſtinxerat *h*). Error inde nasci potuit, quod Leleges poſt bellum Trojanum in Carum terram conceſſerunt, cum quibus deinde terram communem tenentes, bella communia gerebant *i*). Poſtea diſperſione Lelegum per multas Graeciae partes

f) Il. II. 840.
g) Strabo p. 883.
h) Il. X, 428 Strab. p. 909.
i) Strab. l. c.

partes facta, omnino deleta eſt gens *k*). Pedaſum quam Satnioïs praeterfluebat *l*). vt ſupra notavimus, expugnavit quidem Achilles, at non funditus evertit. Nam et Altes, poſt certamina cum Achille ſuperſtes, Pedaſi habitavit *m*), et Lelegem copiae, licet in Catalogo non laudatae adverſus Graecos pugnarunt *n*).

Eetionis provincia *o*) Prima haec gentis Cilicum provincia media jacet inter Leleges et alteros illos circa Lyrneſſum Cilices. Vrbes commemorantur Thebe, Chryſa, Cilla. Thebe ſaevioren etiam quam Pedaſus, victorem Achillem ſenſit *p*), neque unquam poſtea

k) Ibid.

l) Il. VI. 34, 35.

m) Il. XXI. 86, 87.

n) Il. X. 429.

o) Eetionem Thebis habitaſſe narratur Il. I. 366. Cilicum regem fuiſſe Il. VI, 415, 16.

p) Il. I. 366, 67.

ſtea refloruit. Ruinae eius ſeptuaginta ſtadiis ab Aſtyra, ſexaginta ab Adramytto cernebantur *q*). Cur Homerus eam Θηβην ὑποπλακιην! dixerit et ὑπο Πλακῳ ὑληεσσῃ *r*) multae obſcuritatis quaeſtio eſt, cum neque Placus aliquis, neque locus ſylvoſus ibi inveniatur *s*) veteribus rerum nominibus deletis, terrae facie multum mutata. Cilla ad flumen Cillaeum, Chryſa in littore prope Thebas jacebat *t*) vtraque Apollinis templo clara *u*). Cum, hac deſerta, nova condita eſſet Chryſa prope Hamaxitum, Apollinis templo ſimul in eam translato, antiquitatis imperiti Chryſam illam Trojana aetate multo recentiorem pro Homerica habuerunt, Quorum opinionem Strabo docte refutat *x*) his maxime argumen-

q) Strab. p. 910, 913.
r) Il. VI, 396, 97.
s) Strab. p. 913.
t) Strab. p. 910, II.
u) Il. I. 37, 38. cf. Strab. p. 910, II.
x) Strab. p. 991.

nentis quod nova Chryſa portu careat, vetus inſtructa fuerit *), neque plum eius, ſicut huius y) littori proquum ſit; quod nova Chryſa remotior Thebe ſit, quam ut ad eius ditionem tinere potuerit, ad quam pertinuiſſe ryſam Homericam, perſuadet nobis ryſeïs, cuius pater Chryſae ſacerdos it, captiva e Thebe expugnata abcta z); quod melius denique Chryſae teris poſitio cum modo itineris quo yſſes in eam tetenderit, conveniat.

Mynetis provincia *a*). Altera licum pars *b*) inferius illa in littore bitabat. Eadem clade, qua Eetionis Cili-

*) Il I. 431,

y) Il. I. 439, 440.

z) Il. I. 366 - 369.

a) Il. II. 691, 692. cf. Il. XIX. 296.

b) Licet ex Homero colligi nequeat, etiam Cilices fuiſſe, quibus Mynes imperabat, Strabo tam confidenter illud vbique affirmat, quaſi e certiſſimo fonte hauſiſſet, p. 877. 910. 916. in fine.

Cilices, gens haec afflicta eſt, cum vr
ſua Lyrneſſo *c*) octoginta ſtadiis ab Adr
mytto, ſed ad aliud latus, quam
quod Theben illud habebat, poſita *d*
Vtrique Cilices tum in Catalogo omi
ſunt, tum inter populos in Trojanoru
acie pugnantes nunquam laudantur, r
tione ſatis perſpicua. Ducibus eoru
interfectis, genteque prorſus depre
atque imminuta, ſi qui urbium ſuaru
cladem fugerant, cum Hectoris copi
fortaſſe illi in aciem progreſſi ſunt.

EURYPYLI PROVINCIA. Secundu
Strabonem, Eurypylus, quem ex H
mero Telephi filium, Ceteorum duc
fuiſſe, tandem Pyrrhi manu cecid
ſcimus, circa Caïcum infra Cilices I
neſſios regnavit, vnus e regulis a Pri
pendentibus *e*). Quamquam haec

p

c) Il. II. 691 - 693.

d) Strab. p. 910. Alii Lyrneſſum Pe
que cum Adramytto confuderunt.
lar. Notit. orb. ant. T. II. p. 43.

e) Strab. p. 878. 915.

)oſuimus, novem provincias regni Tro-
ani numerando, dispiciemus nunc quam
:erta illa ſint atque comprobata. Locus
Homeri, de quo agitur, ſic ſe habet:

τὸν Τηλέφιδην κατενήρατο (intell. Neoptolemus) χαλκῷ,
Ἥρως Εὐρυπύλοιο· πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
Κήτειοι κτείνοντο, γυναικῶν ἕνεκα δώρων f)

Tenebrae, quibus hi verſus obvoluti
unt, aliquanto obſcuriores Grammati-
:orum nugis redditae ſunt. Vltimum
illud hemiſtichium, et ipſum aenigmatis
inſtar, quandoquidem Geographiam non
angit, hic non curabimus, neque hae-
:ebimus in etymologicis aut emendatio-
)ibus aut explicationibus vocis Κήτειοι.
Strabonis ratiocinatio, qua Eurypylum
terrae ad regnum Trojanum pertinenti
praefectum fuiſſe, efficit, haec eſt g).
Conſtat Telephum a Teuthrante, rege
circa

f) Od. XI. 518.

g) Strabo p. 915., 161 cf. 877.

circa Caïcum, pro filio adoptatum esse *h*). Nominis Ceteorum, quod olim harum regionum incolis tributum sit, vestigium profert geographus amnem quendam Cetium, (κήτιον) per Elaitidem in Caïcum delabentem. Denique Ceteos Priami sceptro subditos fuisse, inde concludit, (nam aliis argumentis res caret) quod regni Trojani terminus insula Lesbus dicitur *i*). Nimis arguta haec argumentorum connexio videri posset, nisi probabilitatem quantulamcunque sequi satius esset, quam omnino de rei cognitione desperare. Attamen vel sic postremam argumentationis Strabonianae partem rescindendam censeo, nullo fundamento nixam, nisi vaga illa atque hyperbolica descriptione finium Troadis. In incerto igitur relinquemus, Eurypylus praefectusne provinciae Trojanae fuerit, an rex, Trojanorum socius. Ill. Gatterer memorato Homeri de

h) Apollod. p. 226.

i) Il. XXIV, 544.

le Ceteis loco, *k*) Cetim huc refert, parem Ciliciae apud Ptolemaeum. Et fane magnam veri ſpeciem habet Ceteos, Cilicum in Troade vicinos etiam Cilicum cum iſtis ſimul tenuiſſe. Si quaeras forte cur Eurypyli, poſt tempora in libus Ilias verſatur, demum occiſi, opiarum oblitus ſit poëta in διακοσμῳ, eſpondebo, eum in exercitus Trojani ecenſione jam fatigatum longa nauium opiarumque enumeratione, magis operam dediſſe, vt breuiter, quam vt lene accurateque eam inſtitueret, *l*) um quoque omnia congeſſiſſe quae ad raecorum gloriam celebrandam facerent, Trojanis vero partibus hac in re ulto minus fauiſſe.

ELIQVAE GENTES ASIAM INCOLENTES.

Mysi. Myſos et in Catalogo Homerus habet et alias commemorat, habita-

k) Weltgeſch. T. I. p. 186.

l) Sic et Cancones et Memnonis copias, in exercitus Troiani recenſu omiſit.

bitationes vero eorum quales quantae que fuerint, nunquam declarat. *m*) Qua rum cognoſcendarum cauſa, ſi ſede gentibus finitimis aſſignatas diſpiciamus vacuum quaſi tractum nulli populo a Homero memorato proprium inuenie ab Aeſepi fere oſtio ad Aſcaniam. Quo ſi praeter Myſos ibi habitaſſent alii, H merus eos inter ſocios Trojanorum, qu rum foedera latiſſime per Aſiam pate ban

m) Strabo tamen (p. 847.) recitat verſi Homericos quibus Myſi ex Aſcania v niſſe dicuntur: Πελμυν, Ασκανιοντε, M ρυγ' υἱων Ιπποτιωνος, Μυσων ἀγχεμαχων ἠ τορε — Οἱ γ' ἐξ Ασκανιης ἐριβωλακος ἠλθ ἀμειβοι, et concludit e verſu ſecun quem noſtra Homeri exemplaria non e hibent, (Il. XIII. 792, 93.) Aſcania duplicem fuiſſe, hanc Myſorum, illa Phrygum. At cum Strabo hos verſ nullius libri ope adiutus, vt ſaepe, a ſcripſiſſe videatur, in eo falli potuit, verſus duo alienos, ſimiles ſibi confu deret, et unum inde genuinum ipſi ſum fingeret. Verſus iſti, quos dixi, ſu Il. XIII. 5. Μυσωτ' ἀγχεμαχων — et XI 512: — Μυσων ἠγητορε καρτεροθυμων.

ant, retuliſſet. Itaque easdem fere ędes, quas poſtea, tenuiſſe videtur gens, iſi quod ad Aegei maris oram tunc a ceteis Pelasgisque cultam nondum penetrauerat.

PHRYGES. Phrygia qualis fuerit, aetate Trojana, duo tantum, quibus determinemus, certa nobis ſigna ſunt; Aſcania regio a lacu Aſcanio, haud procul ab Olympo orientem verſus poſito ita dicta, et Sangarius fluuius. Mananam igitur Bithyniae, qualis a Strabone illa definitur partem, Phrygia complexa eſt. *n*) An vero vltra Sangarium tetuerit, necne, et quam late in mediterranea, quae a Geographis Phrygiae poſitioni dantur, porrecta fuerit, ex Homero non liquet. Quodammodo tamen de terram eorum quam latiſſimam cogitare nos jubet, vbi Phryges opibus et

n) Fortaſſe Bithyni, Thracica gens, poſt Trojani belli tempora in Aſiam tranſierunt, Phrygesque in interiora Aſiae compulerunt.

populi multitudine, vix Grae
tradit. *o*)

CAUCONES. Caucones
thas fecerunt, alii Macedonas
nonnulli Pelasgos. *p*) Posteric
tia potissima videtur, quan
gentis huius partem Peloponn
aluit. *q*) Cauconum horum,
Trojanorum socios erant, *r*) se
Ponti a Maryandynorum ind
ad Parthenium fuerant, quo
etiamnum sua aetate Cauconi
conum progeniem fuisse, C
testatur. *s*) Idem in διακοσμοι
nas omittentem, ausus est inse
sum de suo:

Καυκωνας δ' αυτ' ηγε Πολυ
αμυμ

o) Il. III. 184.
p) Strab. p. 817.
q) V. supr.
r) Il. K. 429.
s) Ap. Strab. l. c.

ei adjecit alium e copiarum Paphlagonicarum recenſu petitum:

Οἱ περὶ Παρθένιον ποταμὸν κλυτὰ δώματ' ἐναῖον,

reprehendenda profecto poëtam emendandi libidine incitatus, cum cauſae in promptu ſint, quibus effectum eſt, ut negligentius breuiusque Trojanorum copiae recenſerentur.

Paphlagones. Proxime in littore ſequuntur Paphlagones, de quibus plura commemorata inuenimus. Principem horum nobiliſſimamue partem Henetos facere videtur poëta, *t*) qui vtrum poſt bellum Trojanum amiſſo duce per Thraciam ad ſinum Adriaticum commeauerint, vt vulgaris opinio fert, Strabone non aduerſante, *u*) an e ſola nominum ſimilitudine orta ſit iſta narratio magis hiſtorias tractantis, quam antiquitatem Geographicam illuſtrantis eſt.

t) Il. II. 852.

u) Strab. p. 819.

Henetorum nomen quod longa ſaecul rum ſerie obſoleuerat, offendit inte pretes, vt pro ἐξ Ἐνετῶν, qui nulli ipſ rum aetate in Aſia erant, ſcribendu cenſerent ἐξ Ἐνετῆς, quo nomine Am ſum vrbem Leucoſyrorum dictam aj bant. x) Qui ſi reputaſſent, quant clariora nomina longum tempus oppre ſerit antiquae lectioni peperciſſent.

Quod de mulorum ferorum in H netorum terra copia traditur, y) prod eam ſiluis ſpatioſis contectam, minu que cultam fuiſſe. Habitationes Paphl gonibus dantur, loca circa Partheniun nobile flumen; Cytorus, oppidum e nonaginta ſtadiis a Cromna verſus or entem reductum; z) Seſamus, quae tr bus vrbibus adjunctis Amaſtris nomin ta eſt, et nouae hujus vrbis arx mar ſit; a) Cromna, inter Erythinos et C torur

x) Strab. p. 819.
y) Il. II. 852.
z) Cellar. Notit. orb. ant. T. II. p. 311
a) Strab. p. 820.

im; *b*) Aegialus, tractus centum ſta-
um in littore juxta promontorium
ambim cum eiusdem nominis vi-
c) Erythini, collis vel oppidum ſexa-
a ſtadiorum interuallo a Seſamo, to-
m a Cromna diſtans. *d*) Difficultas
dam ineſt hisce locorum appellatio-
s, Παρθενιος, Αιγιαλος, Εξυθινοι,
us qui fieri potuit, ut barbara Pa-
gonum gens aetate Trojana vtere-
Nonne potius credendum has pri-
a a Mileſiis ceterisque Graecis, Pon-
Euxinum coloniis cingentibus, mul-
erius huc allatas eſſe? Igitur vel
idum Homerum hic non, qua ſolet,
itione diuerſorum temporis rationes
nxiſſe; vel, ſi hoc nolis, verſus tres
v. 852. ſequuntur pro additamento
idocta manu adſarto, ejiciendi ſunt.
HALIZONI. Etiamſi non ſperandum,
tanto ſaeculorum interuallo ab Ho-

 mero

Cellar. l. c.
Strab. p. 820.
) Cellar. T. II. p. 310.

mero ſeparatos, omni notitia hiſtoriae populorum minoris Aſiae deſtitutos, feliciores fore, quam doctos antiquitatis viros Ephorum, Hecataeum, Menecratem, Palaephatum, Apollodorum, Strabonem, Arrianum, aliosque, *e*) qui frustra deſudarunt in verſibus hisce:

Αὐταρ Ἀλιζωνων Ὀδιος και Επιστροφος ἡρχον,
Τηλοθεν ἐξ Αλυβης, ὁθεν αργυρου ἐστι γενεθλη, *f*)

ad vera loca populosque eos accommodaturi; juuat tamen diuerſorum ingeniorum conatus intueri et in eo ſi haereas, cui fides habenda ſit, ſaltem, quid non ſequi debeas, cognoſcere. Potiſſimas igitur, eruditorum ſententias breuiter exponemus. Ephorus pro Αλιζωνων ſcribebat Αμαζωνων, altero verſu quoque prout ipſi placebat mutato, et Amazones has circa Cumen fuiſſe aiebat.

e) Strab. p. 826. ſeqq. Euſt. ad Il. p. 275.

f) Il. II. 856, 57.

bat. Miror eum non vidiſſe, etiam τὸ: Ὄθιος καὶ Ἐπισχερφος ἠχοντ corrigendum eſſe, ne ipſius ſententia concideret, ſi quidem Amazones, quales earum mores celebrantur, nunquam viros duces paſſae ſunt. Alii circa Myrleam et Rhyndacum Myſiae ſeu Bithyniae amnem vrbem Alaziam, olim deſertam oſtendunt, et Alazones quosdam, longinquitatis et argenti fodinarum, quae Halizonis tribuuntur, nulla ratione habita. Arrianus ait, Bithynos in peninſula, quae Bosporum Thracicum tangit, Ἁλιζώνους dici, quaſi mari cinctos. Strabo in Chaldaeorum ſ. Chaldorum terram, vbi Pharnacia eſt, Halizonos reducit. Chaldaeos metalla habere ait, ipſius quidem aetate aeris, olim vero etiam argenti. Eosdem olim Chalybes ſ. Alybes vocatos, ab Homero deſcribi. At neque haec Strabonis explicatio difficultati ſolvendae ſufficit. Neque enim ea docet Halizonorum nomen quid ſibi velit? g)

g) Si vera ſunt, quae differit Strabo, mirandum foret homines jam Homeri aetate

PELASGI. Jam ad Troadem reuertamur, deſcriptionem noſtram per anteriorem Aſiae oram in Auſtrum deducturi. Pelasgi illi Lariſſam tenebant, *b*) quam

tate in Ponti Euxini oras, in quo Phaſin etiam cultioris aevi graeci σχατον γενοσι ξεομεν dictitabant, tam alte cognitione ſua penetraſſe. Tunc minus etiam dubitarem, Othryonea e *Cabeſo* ad opem Trojanis ferendam profectum (Il. XIII. 363.) in terra, quam poſtea Leucoſyri occuparunt, natum fuiſſe. Cabeſum hanc alii Thraciae vrbem dicunt, alii Lyciae. (Euſt. ad Il. p. 910, 37.) E narratione Homeri vero patet, Othryonea e terra longinqua, quae opem Trojanis non tulerat veniſſe, tum vero etiam non memini, ab alio quoquam Cabeſum in Lycia ſeu Thracia laudari. Nonnulli Cabeſum Cappadociae oppidum fecerunt (Euſt. l. c.) et habemus Cabuſſum apud Cappadoces (Cellar. Notit. orb. ant. T. II. p. 351.) quod aperte idem nomen eſt. — Haec cum neſcirem, ad cuius terrae deſcriptionem referrem, hic inſerenda judicavi.

b) Il. II. 842.

Strabo eam esse censet quae Cuaceat, quia e tribus, quas Asia Lariſſis, altera Troadis est, aldorum. *i*) Hactenus Homerus sgis, quorum ditioni multo plura unt. Lesbi, insulae saepius ab o laudatae, incolae, majoribus laeum, Pelasgorum ducem, *k*) se affirmare solebant. *l*) Porro n littoris, poſtea Jonici dicti, i cum insulis vicinis scimus Pem fuisse. *m*) Quamobrem loca memorata, Homero nihil de ilente, non Maeonibus sed Peribuenda. Sunt illa montes Si-) et Mimas, *o*) Chius *p*) et) insulae, quarum haec Melaenae

ab. p. 94. 922.
II. 842.
ab. p. 922.
id,
XXIV. 615.
l. III. 172.
id.
d. III. 171. Homero Pſyria dicitur.

nae Chii promontorio, ex aduerso jacet. Lapidem in Sipyli vertice eminentem quondam Niobes corpus fuisse, fama erat. *r*) In eodem nascitur Acheloüs quidam, *s*) à nemine fere geographorum notatus, nisi quod Eustathius ex auctore quodam descripsit, eum e Sipylo in agrum Smyrnaeum defluere. *t*) Mimantem in peninsula, versus Chium excurrente, assurgere apud ipsum Homerum obseruare licet. *u*)

Maeones. *x*) Cuncta montium juga, quibus Maeonia scinditur sub Tmoli nomine complectitur poëta, Maeones in vniuersum sub Tmolo natos dicendo. *y*) Flumina plura celebrat, Hermum, Hyllum *z*) Caystrum, *a*) quorum Hyllus Her-

r) Il. XXIV. 617.
s) Ibid. 616.
t) Eust. ad Il. p. 1507. 29.
u) Od. III. 172.
x) Μαων. femin. Μαονις. Terrae nomen: Μαονια.
y) Il. II. 866.
z) Il. XX. 392.
a) Il. II. 461.

lernum aqua ſua auget, Hermus in ſi-
um Smyrnaeum illabitur. Ad Cay-
rum ſeu Cayſtrium, *b*) cujus ripae va-
aeue cycnis gruibusque gratiſſimae
lim fuerunt *c*), pratum erat quoddam
ſium ſeu Aſiae, *d*) herois in eo ſepul-
; et monſtrabant Strabonis aetate in
odem, triginta ſtadia ab vrbe Nyſa,
ſiae et Cayſtrii heroum ſacella.

Prope Gygaeum lacum regiam ſedem
iſſe oportet, quandoquidem e lacu iſto
rognati feruntur Maeonum duces. *e*)
rdes, quadraginta ſtadiis ab eo diſtan-
tis

b) Ibid.

c) Il. II. 459.

d) Nomen eſt, vt Euſtathius opinatur (ad Il. 192. 45.) Ασιας, genit. Ασιου. Ionice Ασιεω. contr. Ασιω. Legi igitur debet Il. II. 461. Ἀσιον ἐν λειμωνι vt eſt apud Euſtathium aut Ασιω. Vulgo ſcribitur Ασιῳ cum jota ſubſcripto quaſi adjectivum eſſet του λειμωνι, quam rationem ſecutus eſt Virgilius vbi Aſium paludem laudat.

e) Il. II. 865.

tis, recentiores sunt aetate Trojana. *f*) Alio loco intelliges Hyden vrbem, ad Tmoli radicem conditam, *g*). juxta lacum Gygaeum fuisse. *h*) Hanc ergo conjicio Maeonum gentis caput fuisse, siue, quae quorundam est opinio, eadem in majus aucta Sardes postea appellata est, *i*) siue interiit olim vrbs, quam Strabo non inueniri affirmat. *k*) Praeter Hyden Tarne occurrit, Maeoniae oppidum, *l*) quae vbinam fuerit traditum non inuenio.

CARES. *m*) De epitheto Carum (βαρβαροφωνοι) Strabo multa docte disputauit. *n*) Excitauerat illud interpretum dubia, maxime quod apud Cares

f) Strab. p. 928.
g) Il. II. 385.
h) Il. XX. 385. cf. 391.
i) Strab. p. 929.
k) Ibid.
l) Il. V. 43, 44.
m) Antiquum patronymicum. Καρ fuit. Inde femin. Καρα Il. IV. 142.
n) Strab. p. 976. seqq.

s ſolos Homerus eo vſus eſt, *o*) ne-
ie tamen lingua Carica prae ceteris dura
que aſpera fuit. Strabo itaque cenſet
βαρβαροφωνοι magis eo valere, quod
ıres, qui ab Jonibus Doribusque vna
m ipſis viuentibus Graece didicerant,
ale Graecam linguam calleant, quam
quod ſermone patrio aſpero vtantur.
teſtimonium, quo Strabo probare co-
ıtur, Carum linguam non eſſe adeo in-
cundam auditu, ex aetate petitum eſt,
ıa jam graecarum vocum admiſtione
ıdis ejus ſonus mollitus fuerat, atque
ıdoles barbara in ſuauius ſermonis ge-
ıs mutata. *p*)

Loca, quae Caribus tribuuntur, ſunt:
ſiletus (non illa Jonum colonia, ſed
ıtuſtior vrbs, cujus olim deſertae,
prop

o) Miror nemini hic in menten veniſſe illud: μετα Σιντιας αγριοφωνους. Od. VIII. 294.

p) Hoc ipſe auctor a Strabone advocatus docet: πλειστα ἑλληνικα ονοματα εχει κατεμεμιγμενα.

prope hanc reliquiae cernebantur. *q*) Phthirorum (φθειρων) mons, Mycale et Maeander. Phthirorum mons idem cum Latmo eſt ſecundum Hecataeum; alii Grium intelligunt, jugum montium ab agro Mileſio verſus ſolis ortum per Cariam protractorum. *r*) Mycale vltra Maeandrum eſt, tunc nondum limitem Cariae ſeptentrionalem conſtituentem.

Lycii. Horum Lyciorum terrae vbique fere ευρειης epitheton additur, aut eo conſilio vt a Troadis Lycia diſtinguatur aut ornatus tantum cauſa. Vrbs eorum non laudatur, ſed fluuius tantum Xanthus. *s*) Circa Cragum Lyciae montem eſt ſedes fabulae de Chimaera. *t*) Ibi Strabonis aetate adhuc voragini cuidam Chimaerae nomen erat. *u*) Figmentum de monſtro iſto igni-

q) Strab. p. 941.
r) Strab. p. 942, 43.
s) Il. II. 877.
t) Il. VI. 179.
u) Strab. p. 981.

igniuomo, e leonis, draconis et caprae forma mixto, ſumtum eſſe putant, a monte intus ardente, feris infeſtato. *x*) Duplex Cilicia et Lycia diſceptationi materiem praebuit, vtra prius ſit culta, vtra ex altera originem nomenque duxerit. Qua in re tam obſcurae antiquitatis, vereor vt aliquid certi ſtatuere liceat, niſi hoc: multas olim harum gentium migrationes et varia fata fuiſſe.

Solymi. Sedes Solymorum curioſius non declarantur, colligere tantummodo licet, finitimos Lyciorum eos fuiſſe. Erant bellicoſiſſimi, *y*) perpetuis bellis cum Lyciis implicati. *z*) Cum antiqua eorum gloria nomen obſolevit. Strabo illos eosdem cum Milyis eſſe judicat, alii Piſidas Solymorum ſobolem dicunt. Montes Solymi *a*) ſunt Tauri juga,

x) Euſt. ad Il. p. 492. 8.

y) Il. VI. 184, 85.

z) Il. VI. 184. 204.

a) Od. V. 283. Neptunus e montibus Solymis conſpicit Vlyſſem prope Scheri-

juga, quae ad promontorium Chelidonium insigni altitudine primum assurgentia, Pamphyliae exinde Pisidiaeque praetenduntur. Colles quidam prope Phaselidem Strabonis aetate quoque Solymi appellati sunt *b*).

Amazones. Non defuerunt, qui narrationem de Amazonibus pro inani poëtarum commento riderent, cum tamen dubitari nullo modo posset, vixisse quon-

am rati insidentem, quod ex hominum cultioris aevi sensu non mirabile est, sed incredibile. Fortasse igitur dubium tibi suborietur, ne montes isti ab his Solymis alieni sint. At, nuth magis modicum est, quod Juno ab Olympo certaminis in campis Scamandriis commissi vices accurate observat? Quod Iupiter ab Ida in Scytharum terram despicit? Gaudet imaginibus rerum divinarum in immensum auctis praeclarissimus poeta: vt cui rudiorum hominum affectus animi excitandi erant. Coacta et contorta explicatione Strabo difficultatem tollere conatur. p. 60.

b) Strab. p. 98 e.

dam mulieres iſtas belliçoſas; equi-
eatenus tantum narrationem de il-
i majus auctam exiſtimo, quod tra-
, ſolas in hac gente foeminas belli
ribus functas eſſe. Vna cum viris
ares crediderim proelia ſubiiſſe,
i rei novae prorſus miraculum ad-
ercellere debuit animos eorum,
iscum certabant, vt hi, virorum
i, ſolarum feminarum virtutem
licarent. Tria earum bella diver-
ud poëtam noſtrum occurrunt, cum
gibus, *c*) cum Lyciis *d*) et cum
anis. Huius quidem monumentum
bat prope Trojam Myrinnae cuius-
, quam Amazonem fuiſſe epithethon
σκαρθμος indicat, tumulus. *e*) Pro-
le hinc fit certam habitationem eas
habuiſſe, ſed per totam Aſiam mi-
m vagantes vbique nominis ſui ter-
n propagaſſe.

Il. III. 189.
Il. VI. 186.
Il. II. 814.

Cilicia. Nominatim huius Ciliciae mentio non fit; ante Trojae excidium ne Cilicum quidem fuiſſe videtur. Jacet autem in ea a Pyrami oſtio introrſus *f*) campus Aleïus, locus deſertus, in quo Bellerophon aliquando delituit. *g*) In eadem plerique fabulam de Typhone ponunt, de qua paulo accuratius disquirendum. Typhon eſt ſymbolica imago incendiorum ſubterraneorum, ex antiquis cosmogoniis deſumta. Quoties-cunque talia incendia vehementius flagrarent cum terrae concuſſionibus, tempeſtatum immenſa vi, fulminum ictibus juncta, ajebant homines priſci monſtrum rebellans a Jove fulminibus reprimi. *h*) Cuique ſtatim obvium eſt εντασις Τυφωεος multis regionibus convenire, cum et nunc talis locorum natura non raro reperiatur, et olim multo ſaepius fuerit obvia, niſi poëta, vt in certam aliquam ſcenam

f) Strab. p. 993.
g) Il. VI. 201.
h) Il. II. 781.

ſcenam auditorum animos defigeret, appoſuiſſet, eas εν Αριμοις eſſe. In eo igitur cardo rei verſatur, vt definiatur, quos Arimos vel quae Arima dicere Homerus voluerit, qua de re antiquitatis inveſtigatores in diverſas ſententias abiere. In refellenda opinione eorum, qui de Pithecuſa ſermonem eſſe ajunt, apud Tyrrhenos ſcilicet ſimias, qui inſulae nomen dederunt, Arimos vocari, *i*) non opus erit morari. Alii fabulam in loca circa Tmolum deducentes, dicunt, poſt Il. II. 783. apponi debere verſum hunc:

Χωρῳ ενι δρυοεντι, Τυφως εν πιονι δημῳ; *k*)

Quinam autem Arimi ibi fuerint, non docent. Nonnulli Phrygiae combuſtae Typhonem tribuunt et Arimûn regem e veteribus harum regionum hiſtoriis advocant, *l*) cum tamen Homerus non Arimûn ſed Arimos habeat. Poſido-

 nius

i) Strab. p. 929.
k) Ibid.
l) Strab. 932.

donius monet, *m*) vniuerſae Syrorum genti proprium nomen Arimis eſſe, Arimaeis ſeu Aramaeis, quod utique veriſſimum eſt. *n*) Variis igitur modis tentarunt Syris Typhonem accommodare. Fuerunt qui dicerent, Orontem fluvium ſubterraneo itinere aliquod ſpatium percurrentem Typhonem olim vocatum eſſe a Dracone, qui, dum fulmine ictus vehementer in terram irrueret, ſulco alte tracto fontem Orontis elicuiſſet, alveum excavaſſet. *o*) Quod pro vero ſi auctores nobis venditant, perabſurdum eſt, ſi ut fabulam conſideras, colorem narrationis Homericae de monſtro non ſatis refert. Ingenioſior eſt conjectura quae lacum Asphaltitem huc affert, cui doctiſſimus Taylor patrocinatus eſt verſu ſuperius recitato, quem vna litterula inſerta ita edidit:

χορὸν

m) Strab. p. II. 31.

n) Bochart. Phaleg. L. II. c. V. De gente Aram.

o) Strab. p. 1090.

χωρῳ ενι δρυοεντ', Ιουδης εν πιονι δημῳ p).

At tunc metrum claudicat, neque Homero, cum nusquam praeterea cognitionem Iudaeorum prodat, hanc illi coniecturam affingere ausim. Ciliciae deinde multi, Pindaro ipsis praeeunte q), Typhonem tribuerunt, adeoque Arimos etiam, duplici quidem ratione. Callichenes Arima, nescio quae, montana Ciliciae loca, apud Calicadnum, protulit r), a nemine praeter ipsum commemorata. Praeterea auctori mendaciorum semper suspecto adversatur Posidonius, monetque ne Arimos locum quendam vel particulam gentis alicuius fuisse putemus, sed universos Syros s). Doctius alii Arimos Syros esse aiunt,

p) Wood. p. 50.

q) Pythion. v. 31. Sed Pindari locus a nostra investigatione alienus est. Typhoeum enim ille Ciliciae dat, de Arimis non cogitat.

r) Strab. p. 930.

s) Strab. p. 1131.

Ciliciam tenentes antequam Cilices poſt Trojae excidium e Troade profecti eam invaderent. Sed hi non cogitarunt poëtam hic e ſua perſona locutum eſſe, vt adeo imago illi adaptanda eſſet, ad temporum ſuorum non ad Trojanae aetatis rationem. Neque enim a quoquam intelligi potuiſſet, ſi eam Syrorum terram vocaſſet, quae jam dudum Syrorum non fuerat. Cum in tanta ſententiarum copia nulla Homeri locum ſatis illuſtret, meum eſſe puto, vt aliquid de meo, qualecunque ſit, apponam. Nusquam fere triſtior naturae vultus, magisque comparatus fuiſſe videtur, ad exprimendum vivida imagine cubile ingens monſtri ignei, quam in Phrygiae campis aduſtis, quales olim fuiſſe oportet, cum Strabo adhuc per quingenta longitudinis, quadraginta latitudinis ſtadia eos, incendio dudum exſtincto, non niſi cinere ſaxisve ignis vi reſolutis obtectos viderit *t*). Non autem diſſimile veri eſt, Syros (nam Phry-

t) Strab. p. 932.

Phrygum aliam tunc ſedem fuiſſe vidimus) in his locis olim habitaſſe. Late per Aſiam minorem Syrorum nomen olim patuit. Erant huius originis Ponti incolae, Cappadocesque, pone quos Armenii incolebant, cum Syris proxime cognati *u*). Denique Ciliciam Syris quondam ereptam vidimus.

Cyprus. Duo reges Cyprii Cinyras *x*) et Dmetor Iaſi filius *y*) commemorati, ille ante coeptam Trojae obſidionem, hic eo tempore, quo Odyſſeae res peraguntur; vtrum ſibi invicem ſucceſſerint, an in duo regna diſpertita fuerit Cyprus, in neutram partem affirmare auſim. Paphos vrbs jam tunc Veneris templo, numini huic, ut putabant, gratiſſimo, famam ſibi pepererat *z*).

Phoenice. Frequentiſſime Phoenicum apud Homerum mentio fit, vt qui negotiorum cauſa perpetuo inter Grae-

u) Strab. p. 70.
x) Il. XI. 20.
y) Od. XVII. 443.
z) Od. VIII, 362, 63.

cos vestiebantur. Non uno loco vestes ab illis confectae purpureae, aes aurumque affabre elaboratum, laudibus tolluntur *a*). Simul exercitationem hominum in re navali, tum vero etiam calliditatem animumque lucro intentum *b*) novit juſtaque imagine exhibet Homerus. Tyri nullam fieri mentionem, quia nondum in altum potentiae faſtigium evecta erat, multis jam obſervatum eſt. Contra Sidon ſeu Sidonia *c*) ubicunque de Phoenice ſermo eſt, celebratur. Eadem πολυχαλκος dicitur *), vel tanquam magnifica (nam omnis luxuriosa ſuppellectilis, divitumque domuum ornamenta in aeris copia tunc conſiſtebant) vel, ut Bochartus docet *d*), ab aeris prope illam fodinis.

AEGY-

a) Il. VI. 289. XIII. 741. Od. IV. 616.

b) Od. XIV. 288. XV. 414 ſqq.

c) Vtroque modo flectitur nomen. Il. VI. 291. Od. XV. 424.

*) Od. XIV. 275.

d) Phaleg. L. IV. c. 35.

Aegyptus. Disceptatum eſt a gram-
maticis veteribus, Homerus vocabulum
occe de Nilo ſolo, an etiam de terra
ſurpaverit. Exſtat tamen locus, quo
mnis dubitatio de poſteriore vocis ſigni-
catione eximitur *e*). Recentiorum au-
m interpretum multi illam ſignificatio-
em prorſus ignorarunt, et omnia, quae
e Nilo dicuntur apud Homerum, in
egyptiorum terram traxerunt. Haec
erra quaecunque habet peculiaria, po-
ulique indolem penitus cognoverat Ho-
erus. Laudat eam ante omnes plan-
rum tum ad medicinam corporis utili-
m, tum noxiarum feracem *f*). Ars-
meden-

e) Od. XIV. 275.

f) Od. IV. 229, 230. Docti botanices quidem aliter rem ſe habere, neque in ullo herbarum genere praeter aquatiles excellere Aegyptum cognoverunt. Vid. Shaw's Travels p. 427. Sed hoc Homero ne imputemus, qui vires herbarum non tam accurate cognoverat, obſervaverat tantum, nusquam tot ſuccos exprimi, tot medicamina componi, quam in Aegypto.

medendi inter Aegyptios magis, quam in ullo alio populo eius aevi exculta, animum eius adeo impleverat admiratione, vt quemcunque Aegyptium peritiſſimum medicum, totamque gentem Aesculapii ſobolem appellaret g). Huc et narratio de ſucco aegrimoniam animi levante, quem a muliere quadam Aegyptia acceptum Helena vino infundit h), ſpectat, quam inventam a poëta ad epice ornandam ſimplicem ſententiam de vini effectibus putare poſſemus, niſi fundamenta veritatis hiſtoricae illi ſubſtructa haberemus. Opio nempe in locis circa Thebas nato et praeparato, jam olim, ſicuti hodie, magnopere delectabantur Aegyptii i). Fortaſſe quoque Aegyptii auctores fuerunt rei, nunc per totum orientem uſu evulgatae.

Quod

g) Od. IV, 231, 32.
h) Od. IV, 220.
i) Diod. Sic. Ed. Rhodom. p. 87. cf. teſtimonium auctoris libri *De medicina Aegyptiorum* deſcriptum ap. Blackwallum. Enquiry into the life etc. p. 140.

Quod Homerus Nilum qui ſemper ipſi Aegyptus dicitur, διιπετεα appellat, trahunt, nescio an nimis argute, in annua Nili incrementa per pluvias Aethiopiam inundantes, ſcilicet vt, quod omnibus fluminibus commune erat epitheton, eos a Jove ſeu coelo lapſos eſſe, Nilo per praeſtantiam quandam tribuerit. *k*), Thebarum, principis tunc Aegypti vrbis, divitias, ambitum immenſum, numerumque civium, imprimis militum, ſummopere laudibus tollit *l*), quibus, licet mirandam magnitudinem prae ſe ferant, et alii aſſentiuntur *m*). Praeter Thebas aliam vrbem ſedem cujusdam regis Aegyptii fuiſſe oportet, a regionibus Nili oſtiis vicinis, non ultra itineris nocturni ſpatium reductam. Nam Vlyſſi, qui, vt quidem ipſe narrat, in os aliquod fluvii invectus erat, campos ad

k) Strab. p. 62. 63.

l) Il. IX. 381 ſqq.

m) V. Strab. p. 1170. De centum portis conſentit Herodotus.

adjacentes populanti *n*), poſtridie
luce rex cum exercitu ex vrbe ob
venit *o*). Quod ſi reputas Deltae
lum Nili oſtiis tunc multo propin
rem fuiſſe, probabile ſit, vrbem,
rex ille profectus erat, Memphim
Deſcriptio Homerica Phari inſulae
disceptationis materiam praebuit.
qui non poterant interpretes, quo
dictum ſit, Pharum a littore Aegyp
poſito ſeptem ſtadiis diſtantem,
itineris navalis vnius diei remotam
Aegyptum jacere *p*). Primum
omnibus de hac re prolatis morer,
nebo Aegyptum ibi non terram eſſ
flumen, quod et Strabonem latui
Woodius vero primus vidit *r*). On
ora Pharo oppoſita Aegyptus dici
poterat, dum Nili inundationes lin
Aegypti conſtituerent. Tunc era
d

n) Od. XIV. 258.
o) Ibid. 265 ſqq. 278.
p) Od. IV. 354. ſqq.
q) Strab. p. 63.
r) Wood p. 93 ſqq.

deſertum arenoſum, hominibus, donec canalis e Nilo illuc deductus eſſet, victum negans *s*). Porro adgeſtionem Aegypti per Nilum inſitiari non licet, quamvis Bochartus *t*), cum vaſta, quae ei ineſt, eruditione, adverſus omnem antiquitatem et doctiſſimum quemque phyſicorum recentiorum pugnet *u*). Si igitur a Pharo ad oſtium Canopicum, inde tantum remetiaris, quantum ante tot ſaecula ora Deltae introrſus remota eſſe debuit, omnino curſus diurnus navis efficitur. Veriſſimum quoque eſt, quod dicit poëta periculoſam eſſe navigationem a Pharo in Nilum *x*), ſicut et illud naturae rerum accommodatiſſimum, quod deſertam inſulam phocarum diverticulum facit *y*).

Libya

s) Wood l. c.
t) Phaleg. L. IV. c. 24.
u) Wood l. c. Shaw's Travels p. 339. 439-441.
x) Wood p. 409 ſqq.
y) Similiter de Delo auctor Hymni in Apollinem Homero vulgo tributi, v. 77, 78.

Libya. Libyae Homerus oram i ris interni dat, finiſtro Aegypti la proximam z). Quam longe vero e in occaſum ſolis auſtrumve produci lit, prorſus non ſignificat. Incolar Libyae paſtoriciam vitam agentium, o lentiam e coeli benigna temperie, j cuorumque praeſtantia, rebus nunc deterius ibi mutatis, ad eos confu tem, ſummam depinxit a).

POPVLI AVSTRALIORES M RE INTERNVM NON ATTINGENTES.

Aethiopes. Aethiopum nomen Graecis, incolas fervidioris plagae d

z) Od. IV. 85. Ex ordine, quo Menel terras, quas inviſerat, recenſet, c Libyam vltimam ponit poſt Aegypti Aethiopes, Sidonios et Erembos, in ligitur cum a terris remotioribus iter revertiſſe in Aegyptum, hinc dem in mare internum revectum, orae Li cae ſe applicaſſe.

a) Od. IV. 85 ſqq.

designaturis, fictum est *b*). Deinde, at serius Homerica aetate, casu quodam in nomen proprium populi a tergo Aegyptiorum incolentis abiit. Si Homeri dicta de Aethiopibus e vero illius sensu cognoscere volumus, necesse est, ut quidquid cognitionis de Globi terrae natura doctior aetas paravit, abjiciamus. Ab Austro Aethiopum terrae Oceanum limitem apponit, quem ad meridionalem orbis plagam intra zonam fervidam esse opinabatur. In hisce versibus:

Αἰθιοπας, τοι διχθα δεδαιαται, εσχατοι ανδρων,
οἱ μεν δυσομενου Υπεριονος, οἱ δ' ανιοντος *c*).

voces duas postremas versus prioris aut per se construxit, vt post voces εσχατοι ανδρων subaudiretur: *versus meridiem*, aut cum sequentibus jungi voluit. Alter explicandi modus ab altero in eo differt, quod illum si praeferas, simpliciter

b) Strab. p. 58.
c) Od. I. 23. 24.

citer dictum foret terram Aethiopum ſcindi in partem aliquam orientalem et occidentalem; inde autem ſequeretur Aethiopiam duplicem tantum in latitudinem patere, quantum omnis terrarum orbis. Quae Aethiopum diviſio an animo poëtae obverſata ſit, multiplex diſceptatio fuit. *d*) Alii in nugis grammaticis verſati ſunt, nonnullos non piguit aſtronomicas de orbe notiones in Homeri verſus inferre. Potiores ſententiae eorum ſunt, qui diviſionem regionum ſerventium vel per Nilum factam vel per ſinum Arabicum huc advocant. Horum tamen quantum in re adeo obſcura judicare valeo, poſteriorem elegerim, quia prior diviſio Aethiopiae tantum Aegypti tergo imminenti ſeſe accommodat, haec major eſt, qualem zonae diviſionem eſſe decet. Qui trans ſinum Arabicum incolunt, Homero Aethiopes eſſe, eo quoque probatur quod Neptunus ab Aethiopibus ad Aegas ſive Achaicas ſive Euboicas reverſurus

d) Strab. p. 54 ſqq.

ſurus iter inſtituit ſuper montes Solymos. *e*) In hos neceſſe erat eum recto itinere deferri, ab orientalioribus hisce regionibus redeuntem, ſed is qui ab Aethiopia circa Nilum, Aegas tendit, non tanget montes Solymos. Hanc partem terrae Aethiopum contra, Menelaum inviſiſſe crediderim, quoniam ex Aegypto illuc profectus erat. *f*) Quod deos per dies duodecim apud Aethiopes moratos eſſe narratur *g*) e carmine aliquo phyſico, quo ſolis progreſſus obliqui verſus tropicum Capricorni tali ratione ſignificaretur deſumtum videtur. *h*) Additur, quotiescunque numen ad Aethiopes profectum narratur, factum hoc eſſe ad adeunda Aethiopum ſacra; neſcio an famam de ſumma pietate Aethiopum fecu-

e) Od. V. 283, 84. cf. 381.
f) Od. IV. 84, 85.
g) Il. I. 423.
h) V. Ill. Heyn. Diſſertatt. De origine et cauſis fabularum Homericarum pag. 53. (Nov. Commentatt. Societat. Reg. Göttting. T. VIII.)

tus ſit poëta, an probabilitatis profectioni conciliandae gratia ille hoc finxerit.

Pygmaei. Vicini Aethiopum, vti Homerus quidem ſibi perſuaſerat, Pygmaei ſunt, quandoquidem et haec gens Oceano auſtrali, in quem grues volant hieme ineunte, Pygmaeis bella illaturae, eſt contigua. *i*) Fabula de Pygmaeis, id eſt Pumilionibus, vt ab aliis accepta et vulgo nota, obiter tantum tangitur. Haud dubie ducta illa eſt e narrationibus viatorum, qui in Africa copiam ſimiarum paruarum, hominibus corporis forma haud abſimilium, viderant. Quod Strabo cenſet, quoniam non e Graecia ſolum ſed undequaque grues oram terrae meridionalem petant, Pygmaeorum terram per totum orbis ambitum ab Homero extendi, in eo paulo argutius ratiocinatur. Imo, neceſſe eſt, vt vbique Aethiopes cum Pygmaeis ſimul habitaſſe credas, ſi hanc ſententiam poëtae opinionibus accommodare velis.

Sidonii. Cum Menelaus apud Homerum ita loquitur:

Κυπρον

i) Il. III. 5. 6.

Κυπρον, Φοινικηντε, και Αιγυπτιους επαλη-
θεις
Αιθιοπας θ' ικομην, και Σιδονιους, και
Ερεμβους,
Και Λιβυην. — *)

Strabo Sidonios, vrbes Phoeniciae incolas cogitat, *k*) ita vt locutus sit poëta e formula sibi familiari, qua, toto posito, pars nominatim subjiciatur, qualis haec est:

Ιδην δ' ικανεν πολυπιδακα, μητερα μηλων,
Γαργαρον —

quod tunc tandem ferendum esset si legeretur:

— Φοινικηντε, και Σιδονιους επαλη θεις.

Quoniam autem tot interjectis vocibus separantur Φοινικη et Σιδονιοι, nimis durum foret atque obscurum. Itaque altera tantum restat sententia, quae Sidonios populum in sinu Persico facit,

 cuius

*) Od. IV. 83—85.

k) Strab. p. 69.

cuius Phoenices ad mare noſtrum ſeu coloni fuerint, ſeu colonos iſtuc emiſerint *l*). At nec haec ſententia, licet ipſe rem expedire non valeam, mihi ſatisfacit. Omnino non aſſequor, quomodo innoteſcere potuerint Homero Sidonii, gens obſcura et exigua, cum Babylonis, Euphratis, ceterorumque nobilium orientis nominum, ignarus fuiſſe videatur, vel ſi de his comperta aliqua habebat, erroresque Menelai huc vsque extendere volebat, cur non potius nominum nobiliorum meminerit.

Erembi. De his expeditior eſt inveſtigatio. Omnes in eo conveniunt, Arabes eos eſſe; diſcrepant modo in ratione nominis Eremborum Arabiae accommodandi. Nonnulli lectionem mutarunt. Legebatur:

και Σιδονιους και Ερεμβους. *m*)

pro quo ſcripſerunt: — και Σιδονιους Αρα-

l) Idem p. 1131.

m) Od. IV. 84.

Αραβαςτε ſ. και Ερεμνους, tanquam ita dicti ſint Arabes nigricantes et coloris ſubfuſci. Alii, vocabulum απο του εις την εραν εμβαινειν (vetus verbi forma βαω fuit) etymon habere ducentes, Erembos Troglodytas eſſe, occidentale ſinus Arabici littus tenentes, contenderunt. *n*) Poſidonius exiſtimabat, Arabas, vero ipſorum nomine et Homeri aetate uſitato, Erembos nuncupari; cui adſentitur Bochartus, qui Arabum nomen ab Hebraeo ductum olim et Arab et Ereb pronunciatum eſſe vult; ex Ereb Graecis Homeroque Erembos eos eſſe dictos. *o*)

TERRAE GRAECIAE AB OCCASV JACENTES.

Perluſtratis jam reliquis terris, quae intra fines cognitionis Homericae ſunt, ad fabuloſas regiones, in quibus Vlyſſis errores verſantur, transeundum nobis eſt. Ne ab imaginibus rerum, quas Homerus animo ſuo informabat, aberremus, praecipue in hac inveſtigatione

 opus

n) Strab. p. 71.
o) Phaleg. IV. c. 2.

opus erit, ea, quae Homerus de locorum ſitu naturaque tradit, ſedulo diſtincta a viſis interpretum, ſingula ad loca certa accommodare conantium, nude proponere, et inde demum ad veram orbis faciem recurrere. Primo ea loca adeamus, quae in littoribus Italiae Siciliaeque, Graeciae objectis, et omnino cis fretum illud, quod inter Siciliae et Africae prominentes oras coarctatur, jacent, deinde mare inferum, terrasque circa illud Homeri popularibus ipſius aetate incognitas, inviſemus.

Scheria. Scheria ſeu Phaeacum terra aperte inſula Homero eſt, *p*) licet nunquam ita appellata. Quemnam ſitum illi Homerus aſſignare voluerit variis veſtigiis deprehendere licet. Ab Ogygia in ortum ſolis *q*) reducit ſpatio navigationis viginti dierum et noctium. *r*) Altera de parte, magnam eius longinquitatem a Graecia et reliqua terra

p) Od. VI. 204. V. 281.
q) Od. V. 273—277.
r) Od. V. 279.

ra habitata ſignificat, dicens Phaeaces habitare ſeorſim in mari, vltimos, neque quenquam mortalium ad eos penetrare ſolere. *s*) Accedit huc, quod de Euboea, tanquam de inſula vltimo orbis terrarum limiti contigua, quamque vix quisquam ex ipſis adiiſſet, Phaeaces loquuntur. *t*) Coeli porro Phaeacum mira benignitas, ver aeternum cùm Zephyris leuiter ſpirantibus *u*) ad ſimilitudinem camporum Elyſiorum maxime conformata produnt Homerum vicina ſibi vtraque cogitaſſe. Aliud tali vicinitati argumentum ſuggerit narratio de Rhadamantho, quem jam, vt videtur, in Campis Elyſiis degentem navi in Euboeam deduxerant Phaeaces. *x*) Nihilo minus tamen immota ſtat auctoritas veterum hiſtoriarum, quibus probatur, Corcyram aliquando Scheriae nomine notam, Corcyraeosque rei navalis peritia

s) Od. VI. 204, 205.
t) Od. VII. 321 ſqq.
u) Od. VII. 117—119.
x) Od. VII. 321—324. cf. V. 564.

illuſtres fuiſſe *a*). Apparentis huius contradictionis ſolutio arceſſenda eſt a duplici principio ſeu fonte narrationis Homericae de Phaeacibus. Compererat Homerus Phaeaces, gentem imprimis rei navalis ſtudioſam, e Sicilia eſſe ortam, et inde pulſam Corcyram tenuiſſe. Hacte-

a) Ariſtoteles mythicam narrationem ad noſtram memoriam conſervavit, qua exponitur, quorſum Corcyra olim Scheria dicta ſit. Hanc deſcripſit Stephan. in V. Σχερία; et Euſt. ad Od. 204. 19. Idem philoſophus memoriae prodidit e proſpero rerum, imprimis mercaturae ſucceſſu factum eſſe, ut Phaeaces inſoleſcerent, nimioque faſtu turgerent. Ap. Heſych. in voce Κερκυραία. Objurgavit Apollodorus Callimachum, quod Corcyram eandem cum Scheria fecerat. (ap. Strab. p. 76.) Sed ipſe Apollodorus tanquam rem hiſtoricae certitudinis propoſuit, Corcyram Phaeacum domicilium fuiſſe. Bibl. p. 69. Reprehenſio igitur eo tantum valere videtur, quod Callimachus ſimpliciter dixerat, Corcyram Scheriae nomine ab Homero deſignari, του εξωκειμενου nulla ratione habita.

Hactenus narratio veritatis ſpeciem prae ſe fert. Porro cum ſummum aliquod abſolutumque exemplar proponere vellet felicitatis, opulentiae et elegantiae morum, ad quam mortalibus induſtria, pietate, rectoque rei publicae ordine, evehi licet, quidquid eiusmodi in orbe terrarum, inprimis apud Phoenices viderat, audituque cognoverat, vndequaque in Phaeacum inſulam congeſſit. Deinde ne populares ipſius offenderentur miraculis de Corcyraeis populo ipſis vicino et quem penitus noſſent traditis, ſpatium inter Corcyram et Ithacam in majus auxit et in Oceanum eam ejecit.

LOCA IN ITALIAE SICILIAEQVE ORA ORIENTALI COMMEMORATA. Si inde a locis Corcyrae oppoſitis, in quibus ſinus Adriaticus deſinit, (nam quae in illo jacent, aliena ſunt a notitia orbis Homerica) in ora Italiae deſcendamus: prima nobis obvia eſt *Alybas b*) vrbs Metaponti

b) Od. XXIV. 303. Euſt. ad Od. p. 835. in fine.

ti nomine, quod poſt Graecam coloniam illuc deductam habuit, notiſſima. Omne ſpatium, quod hinc vsque ad fretum Siculum patet, Homeri deſcriptiones vacuum reliquerunt. In freto Siculo *Scylla* atque *Charybdis* ſunt, illa ab Italia prominens, haec Siciliae propior. Vtriusque deſcriptio, vt legitur apud Homerum, *c*) naturae locorum admodum eſt conſentanea, ſi, quidquid additum eſt terrore hominum navigationis imperitorum, fretum illud primo pernavigantium, tum vero etiam more jureque poëtarum, omnia in miracula convertentium, detraxeris. Accurate cognoverat Homerus, Scyllam eſſe Scopulum praealtum, *d*) Charybdim vero vorticem, quo violenter contortum mare omnia in ſe rapiat. *e*) Accurate et illud,

c) Odyſſ. L. XII paſſim.
d) Od. XII. 73 ſqq.
e) Od. XII. 101 ſqq. 235 ſqq. Falſo Charybdi quoque, tanquam tectum ſub quo habitaret illa, ſcopulum tribuit, ſed humiliorem (Od. XII. 101.) vix ſupra fluctus exſtantem, ut colligere eſt V. 432 ſqq.

lud, altero monſtro hinc, altero illinc iter infeſtari. *) Porro alterutrum freti latus Scylla teneat, ſibi haud ignotum eſſe, innuit, dicens, ſpeluncam ad anguſtias ſpectantem, in qua Scylla excubare ſoleat, eſſe προς ζοφον, εις Ερεβος τετραμμενον. *f*) Illud tantummodo eum fugerat, e mari infero in fretum invehentem prius Scyllam praeterire et inde demum ad Charybdim curſum deflectere; recta ſibi oppoſitas alteram alteri intra ſagittae jactum ponit. *g*) Quin et iſtis, quae inflatius fabulari videtur Homerus, de captura piſcium hominumque, quam Scylla exerceat, veri aliquid pro fundo ſubſtruunt. Polybius narrat *h*) thynnos gregatim in freti introitum delatos, a canibus delphinisque devorari, atque hos ipſos galeota-

*) Od. XII. 235.

f) Od. XII. 81.

g) Od. XII. 102.

h) ap. Strab. p. 43.

leotarum praedam fieri. Ad cuius rei ſimilitudinem Homericam Scyllae imaginem eſſe expreſſam. *i*) Strabo fabulam de Scylla e quavis navi ipſam praetereunte ſex viros rapiente, *k*) inde natam putat, quod ſolitum fuerit feris harum regionum accolis, e Scyllaeo nautis inſidiari. *l*)

Inferius Scylla et Charybdi ſed paene contiguam illis *m*) inſulam quandam *Thrinaciam* collocat Homerus, exiguam atque deſertam, *n*) a freto Siculo in meridiem et occaſum ſolis reductam, quem ejus ſitum facile inde colligas, quod Ulyſſem cum Zephyro vento e Thrinacia profectum modico ſpatio peracto procella ab Auſtro ingruens iterum in freti anguſtias repulerit. *o*) Diſtingui debet a Thrinacia, Trinacria, antiquum Siciliae nomen. Sicilia ita nominabatur, vt

i) Od. XII. 95. 96.
k) Od. XII. 245.
l) Strab. p. 38.
m) Od. XI. 261.
n) Od. XII. 351.
o) Od. XII. 404. ſqq. 427, 428.

at quae τρια ακρα haberet; Thrinacia a θρινακ id eſt tridens, derivatur. Sub narratione de gregibus Soli conſecratis, in eadem Thrinacia Solis inde inſula dicta *p*) nutritis, et de Nymphis Lampetie et Phaëtuſa illa paſcentibus allegoriae aliquid, de dierum, quibus annus conficitur, de diurno Solis motu, et ſic porro, latet, *) quod ex alio poëta deſumtum Homerus, qui mos eſt illi, in carminis ſui epici vſum convertit. Niſi alſo ſibi perſuaſerat Homerus, eſſe eiusmodi circa haec loca inſulam, forſaſſe Aetna immenſis, quas effundere ſolet, molibus lapidum liquefactorum eam terrae continenti addidit.

Infra Aetnam, quem inter harum regionum miracula non ab Homero celebrari plerique jure mirati ſunt, eſt urbs Leontini et campi *Leontini* quos olim *Laeſtrygonum* terram fuiſſe nonnulli putant. Sed de Laeſtrygonibus antiquitatis

p) Od. XII. 269.

*) Euſt. ad Od. 481 in fine X. 482. init.

tatis ſtudioſorum duplex judicium eſt. Pars enim circa Formias in Auruncis eos collocat. Vtraque ſententia non caret auctoritatibus ſuis, iisque gravibus; poſterior tamen mihi magis conſentanea videtur. At disputationem ea de re tunc iam retractabimus, ubi ad regiones in quibus Formiae ſunt, devenerimus.

Si valet conjectura, quam p. 66. propoſui, etiam Syria et Ortygia ad hanc Siciliae oram referendae ſunt. Denique *Siculi* et *Sicania* q) in Homeri carminibus occurrunt. Vtrumque vocabulum in orientalia Siciliae tantum valet, quandoquidem cetera Cyclopibus tribuuntur, aut etiam prorſus ignota ſunt Homero, quod praecipue de mediterraneis, et de ora ſeptentrionali certo affirmare licet.

Loca in Siciliae ora meridionali commemorata. Primum in hac a Pachyno progreſſi in *Hyperiam* incidimus

q) Od. XXIV. 306. XX. 381.

mus *r*), vrbem, quae ſub Camarinae nomine poſtea innotuit *s*). Sedes Phaeacum illa fuerat, etiam paucis ante bellum Trojanum annis, donec hi a Cyclopibus perpetuo infeſtati nouum domicilium petituri abirent *t*). Hyperiam ditionemque Phaeacum proxime ſequitur *Cyclopum terra u*), quam ſatis amplam ex Homeri opinione fuiſſe oportet, ſi quidem ille in extrema Siciliae loca, inſulis Aegatibus oppoſita, eam producit *), niſi forte credere malis, ignoraſſe eum, quanto ſpatio haec Siciliae pars ab Hyperia ſepararetur. Narrationi de Cyclopibus, monſtris humana carne vescentibus, primorum humanitatis elementorum expertibus, Siciliae olim incolis, Thucydides hiſtoricam fidem tribuit. Terra Cyclopum ut fertiliſſima

r) Od. VI. 4.
s) Euſt. ad Il. p. 243. 42.
t) Od. VI. 4. ſqq.
u) Od. VI. 5.
*) Od. XI. 116. 117.

liſſima, frumenta quaevis et vina copioſiſſime ſponteque producens *x*), verae locorum naturae accommodatiſſime deſcribitur. Inſulae *Aegates*, ad quarum unam Vlyſſes appulit (quamquam dicendum potius eſt, Homerum omnes in vnam confudiſſe) a littore inter Lilybaeum et Erycem patente modico intervallo diſtantes *y*), a Caprarum, quas alebant, copia, cujus fama jam ad Homerum penetraverat *z*), nomen accepiſſe videntur.

Ogygia. Inſulam Ogygiam inter orientaliora maris interni loca recenſeo, quia vulgaris opinio ita recepit. Nam curioſius in rem inquirenti, manifeſtum fit, meras eſſe conjecturas, quae Gaudum inſulam prope Meliten aut inſulam quandam circa ſinum Scylaceum Calypſus inſulam fecerunt, *) easque ne ſatis quidem ad Homeri poëſin accommodatas

x) Od. IX. 109. 111.

y) Ita et Homerus Od. IX. 117. — ουδε χεδον, ουτ' αποτηλου.

z) Od. IX. 118.

*) Illius ſententiae auctor eſt Callimachus ap. Strab. p. 459. Hoc Plinio placet LIII. c. X.

tas. Quae de ſitu Ogygiae Homerus nos docet, haec ſunt. Viginti dierum noctuumque navigatione a Phaeacia in occidentem diſtat. E freto Siculo, in quod a Thrinacia profectum tempeſtas repulerat, Vlyſſes, fractis navigii ſui tabulis inhaerens, decimo die undis in eam delatus eſt. *a*) Non omnino liquet e deſcriptione Homerica, vtrum in eandem partem e freto abierit, unde in illud devenerat, an in mare inferum denuo ſit abreptus. Poſterius tamen factum eſſe oportet, niſi credere malis, ventum, illi procellae ab Auſtro ingruenti, qua in Charybdim delatus erat Vlyſſes, contrarium, a ſeptentrione ſubito ſpiraſſe. Prius vt probarent, interpretes fortaſſe illud adduxit, quod Ogygia in mari infero poſita, intelligi non potuiſſet, quomodo inde recto itinere Vlyſſes Phaeaciam deveniſſet. At haec difficultas minus me tenet, quandoquidem Homerus ſuperioris Italiae haud dubie ignarus, illud non cogitaſſe putandus eſt, duo iſta maria Italia in-

a) Od. XII. 447.

terjecta ſeparari. Ceterum jam Strabo τον εξωκεανισμον inſulae ſentire ſibi viſus eſt, tum hoc verſu ſignificatum:

νησῳ εν αμφιρυτῃ ὀθι τ' ομφαλος εστι θαλασσης — *b*)

tum maxime eo quod Homerica *Calypſo Atlantis* eſt. *c*) Fabulae de Atlante

— ὁσσε θαλασσης
πασης βενθεα οιδεν, εχει δε τε κιονας αυτος,
μακρας, αἱ γαιαν τε, και ουρανον αμφις εχουσι, *d*)

manifeſto ſubſtrata eſt imago montis in littore poſiti, cuius radices in imum mare deſcendunt, cacumina coelum tangere videntur. Eundem ad Oceanum occidentalem ſpectare, non fieri potuit, quin comperiret Homerus a Phoenicibus Aegyptiisve, *e*) licet multo propiorem ſibi fingeret Atlantem quam vere eſt.

TERRA

b) Od. I, 50.
c) Strab. p. 46.
d) Od. I, 52-54.
e) Ab his haud dubie fabula tradita eſt Graecis, quorum navigatio nondum has orbis partes exploraverat.

TERRA LOTOPHAGORVM. *f*) Lothophagi dicuntur a Loto quo dulciſſimo cibo ſolo veſcebantur. Etiamnum frequentiſſimus eſt huius fructus uſus in regnis Tunis et Algier. *g*) Vbinam in tractu Lotophagorum appulerit Vlyſſes, diſcerni non poteſt, quod vt in Inſula Meninge factum exiſtimarent interpretes, potiſſimum permoti videntur monumento ibi exſtructo, pro Vlyſſis ara habito. *h*)

LOCA CIRCA ITALIAM IN MARI INFERO COMMEMORATA. In his percenſendis a ſeptentrione Siciliam verſus, eadem ratione qua modo vſi ſumus, deſcendamus. Incipiendum igitur nobis erit a promontorio *Circeio*, a Circe, cujus ſedem fuiſſe illud vulgo exiſtimant, ita dicto. In fabula de Circe, duplicis originis veſtigia ſunt conſpicua. Alteram eius partem Homerus, petivit e poëta ethico,

 qui

f) Od. IX. 84.

g) Shaw's Travels p. 225 ſqq. Ibid. doctiſſimam deſcriptionem fructus et arboris vide.

h) Strab. p. 1191.

qui perniciosas voluptatum illecebras allegorice adornaverat, alteram vero e poëtis, qui ante ipsius tempora carmina Argonautica condiderant. Haec vero vberiore expositione indiget, quia inde nata confusio rerum diversissimarum, ea quae de Circes insula animo sibi informasse videri debeat poëta, magna obscuritate obvolvit. Circe, sicuti Medea, veneficiorum et incantationum arte valet. Eadem soror Aeaetae regis Colchici est. *i*) Aeetae patrem solem, avum Oceanum perhibuerunt *k*), vt indicarent eum ad Oceanum orientalem, e quo Phasin fluere opinabantur, habitasse. Sedem Aeetae, cum nomen eius nescirent, Acam, id est terram, appellarunt. Ad Aeae similitudinem conficta est *Aeaea* aliqua Circes insula. Porro Aeaeae communis cum Aea vicinitas Cimmeriorum accolarum quorundam Ponti Euxini. Ex eadem affinitate Acaeae cum Colchide

i) Od. X. 137.
k) Od. X. 138, 39.

de puto lucem affundi poſſe dicto cuidam obſcuriori de Circes inſula in initio libri duodecimi obvio:

νησον ες Αιαιην, ὁθι τ' Ηους ηριγενειης οικια και χοροι εισι, και ανιολαι Ηελιοιο. *l*)

Interpretum nonnulli nihil his ineſſe putarunt niſi hoc: Vlyſſem littori inſulae ad orientem vergenti navem applicaſſe. Alii reditum Vlyſſis ex inferis in loca ſolis luce illuſtrata hac imagine exornari exiſtimarunt. Fuerunt qui Circes habitationi, in montis praealti faſtigio collocatae, haec, tribui putarunt, ut in qua ſolis lumen matutinum prius fulgeret, veſpertinum diutius moraretur *m*) Ingenioſe Blackwallus conjicit, Phoenices, quos cum haec loca ſolſtitii aeſtivi tempore inviſere ſolerent, dies longiores mirari neceſſe erat, de Circes inſula haec tradidiſſe *n*). Quae tamen omnia

l) Od. XII. 3. 4.

m) Euſt. ad Od. p. 464. 65.

n) Enquiry into the life and Writings of Homer. p. 266 ſqq.

omnia multum abeſt, ut rem expediant. Quod ſi in mentem revocaveris vulgarem Graecorum opinionem, jacere Aeam ad Oceanum orientalem quam pulchre expreſſit Mimnermus vetus poëta elegiacus:

Αιηταο πολις, τοθι τ' ωκεος ηελιοιο
Ακτινες χρυσεῳ κεαται εν θαλαμῳ
Ωκεανου παρα χειλεσ' — o)

vix dubitabis ad imitationem Acae tendere, quod in Circes inſula cubilia Aurorae et ortus ſolis fingantur. Ceterum negari non poteſt, poëtam ſecum non conſtantem Aeaeam in regiones occidentales aperte traduxiſſe. Vt in Circeio Circes ſedem collocarent, maxime eo impulſos interpretes video, quod Circes templum ibi monſtrabatur; p) quae ſententia ceteris Vlyſſis erroribus ſatis eſt adaptata, et non niſi in eo contra Homeri deſcriptionem offendit, quod Circeium cum continente junctum eſt, cum Home-

o) Strabo p. 80.
p) Strabo p. 355.

Homerus Circes insulam immenso mari vndique cinctam dicat. *q*)

Paulo infra Circeium sunt *Formiae*, antiqua *Laestrygonum*, monstrorum humana carne vescentium, habitatio. Nam alteram de Laestrygonibus sententiam, quo minus probem, prohibet me ordo errorum Vlyssis. Defertur ille ab insula Aeolia ad Laestrygones, inde ad Circes insulam; quod quomodo factum sit, si Laestrygones circa Leontinos colloces, vix intelligi potest. Vrbem Laestrygonum, quam Graeco nomine *Telepylum* dicit, *r*) haud longe a littore Homerus reducit. Narrat, Laestrygones ovium greges tempore diurno, armenta noctu pascere solere, *s*) quem morem in istis regionibus esse frequentem scimus, propter tabanum armentis infestum. *t*)

In

q) Od. X. 195.

r) Od. X. 82.

s) Od. X. 82 sqq.

t) Eust. ad Il. p. 384. 18.

In extremo ſinu Cumano juxta Miſenum eſt *lacus Avernus*, ex eius generis locis, quae Plutonia veteres appellant. Sacrum ibi erat numinum inferorum, cuius ſacerdotes e manium evocatorum reſponſis futura ſe ſciſcitari, profitebantur. *u*) Cujus fama cum ad Homerum perveniſſet, omnia grandioribus rerum phantasmaſi ornando, et imaginem regiae Orci et veri aditus ad loca infera admiſcendo, necyiam ſuam inde contexuit. Hactenus modo res in Necyia commemoratae ad Italiae oram pertinent, nam cetera, quae de *Cimmeriis*, de perpetua apud eos nocte, de *Erebo* ad Oceanum ſito, narrantur, ex opinionibus, inter Graecos Homerici aevi de orbis extremi verſus has partes facie vulgatis, petita ſunt. Has ipſas igitur, quamlibet a noſtris diſcrepantes enucleare, quantum fieri poteſt, conabimur. Iter Vlyſſis a Circes inſula ad *Cimmerios* ita inſtituitur, vt vno curſu diurno *x*) navis,

u) Strab. p. 374, 75.
x) Od. XI. 11—13.

navis, Borea vento acta, *y*) mare perficiat, in quo Aeaea jacet, deinde in Oceanum invecta, per aliquantum ſpatii *z*) littus legat *a*) a Cimmeriis cultum *b*), tandem ad peninſulam nemore Proſerpinae contectam appellat. *c*)

y) Od. X. 507.

z) Od. XI. 635-639.

a) Neceſſe eſt, ut rem ita animo tuo informes, navem, ſimulac per anguſtias quasdam, quas Homerus non multum diſtare ab Aeaea in meridiem exiſtimabat, in Oceanum exiiſſet, curſu ad dextram manum flexo ab externa orbis terrarum ora non diſceſſiſſe. Nam ſi illud δι' Ωκεανοιο περηνης (Od. X. 508.) de trajectu Oceani intelligeres, Homerus minime ſibi conſtans dicendus foret, cum alias Oceanum finem omnium rerum, ultra quem nihil inveniatur, faciat. Poſitum potius videtur pro: intraveris Oceanum. Sic quoque non terminus Oceani ulterior, ſed aditus in eum e mari interno τα περατα Ωκεανου dici videtur Od. XI. 13.

b) Od. XI. 14.

c) Od. X. 509—511.

Putarunt quidam fluvium Oceanum, in quem invectus Vlyſſes ad *Erebum* tendit, dici fretum aliquod, quo e mari interno in magnum Oceanum transeatur *d*), quibus equidem aſſentiri non poſſum. Etenim ſexcenties Oceanus terrum ambiens fluvius dicitur Homero; diſtinxiſſet igitur aliquo modo fretum hoc a magno Oceano.

Liberet huc adducere ad explicandas Homericas de locorum inferorum ſitu notiones, deſcriptionem itineris, quo Mercurius procorum umbris praeit:

παρ δ' ισαν Ωκεανοιο ροας, και λευκαδα πετρην,
ηδε παρ' Ηελιοιο πυλας, και δημον ονειρων
ηιον αιψα δ' ικοντο κατ' ασφοδελον λειμωνα *e*).

niſi

d) Crates ap. Strab. p. 10. E recentioribus Voſs in Diſſertatt. de Oceano veterum (Götting. Magazin. T. I.)

e) Od. XXIV. II — 13.

niſi dubitaretur inter doctos, an liber vigeſimus quartus Odyſſeae ab Homero ipſo ſit profectus. Discrepans autem ab Homerica ratio mythorum tractandorum, maxime ſuspectum hunc librum fecit. Solis portae hoc loco eae ſunt, per quas tranſit ille, antequam Oceano mergitur. Somnia ſecundum auctorem horum verſuum, quisquis ille fuit, habitare videntur ultra Solis portas, in initio jam plagae nocturnae, cui Homerus *Cimmeriorum terram* et Erebum ſubjecit. Ceterum non ſolum locum evocandis manibus aptum adiiſſe Vlyſſes, ſed in ipſum Orcum penetraſſe, tum diſerte affirmatur *f*), tum inde apparet, quod vmbras conſpicit, ex intimis Orci receſſibus haud prodeuntes, Minoëm judicantem, Tityum in ſolo porrectum, Tantalum in mediis aquis ſitientem et ſic porro. *g*) Flumina illa *Acheron*, *Cocytus*, et *Pyriphlegethon*, ad quorum confluentes Vlyſſes ſacra

f) Od. X. 512.

g) Od. XI. 567.

manibus facturus conſiſtit, *h*) non vt ſubterranea deſcribuntur, et omnino ſedes vmbrarum hic in ſumma quidem terra, at in locis tamen luce privatis verſari videtur. Diverſa ab hac eſt deſcriptio locorum inferorum, qua ſubter terreſtre ſolum illa tam late, quam orbis patet, extenduntur, *i*) et ipſa Homero non ignota.

A Surrento verſus Capreas anguſtus terrae tractus prominet, ab altera parte Sirenum fanum habens, ab altera ad ſinum Paeſtanum tres inſulas exiguas deſertas atque ſaxoſas, quas Sirenuſas vocant. *k*) Quam certa ſit fides eiusmodi monumentorum, quale hoc fanum eſt et ſepulchrum Parthenopes Sirenes juxta Neapolim *l*) et alia, nunc non meum eſt, inquirere. Sufficit Sirenuſarum ſitum ordini errorum Vlyſſis bene con-

h) Od. X. 513 ſqq.
i) Il. XX. 61.
k) Strab. p. 41.
l) Strab. p. 377.

convenire. Ceterum Homerus vnam tantum *Sirenum insulam* novit. *m*) Notatu dignum est, vestigium vnicum certae veraeque cognitionis harum regionum inter tanta totque miracula de illis narrata, in Homeri carminibus deprehendi. Narratur nempe, Mentorem Taphium in *Temesam* navigasse, aeris petendi causa. *n*) Est vero Temesa vrbs Bruttiorum, prima post Laum in littore occidentali, cujus metalla aeraria Strabo etiam vidit. *o*) Arguit hoc Graecorum Homerici aevi cum Temesanis commercium, e quo tamen non colligere licet, iter per fretum Siculum illis consuetum fuisse. Videntur potius negotiatores navibus in sinu Scylaceo relictis terrestri itinere deinde Temesam contendisse.

m) Od. XII. 167.

n) Od. I. 184.

o) Strab. p. 392, 93.

Planctae, id eſt ſcopuli errantes cum Ulyſſi Sirenum inſulam praetervecto, jamque ad fretum Siculum acceſſuro a ſiniſtro latere jacentes dicantur *p*) pulchre conſentit haec deſcriptio cum ſitu quarundam inſularum Aeoliarum. Accedit quod πυρος ολοοιο θυελλαι Planctis tributae *q*) naturam incendiorum ſubterraneorum in his inſulis juſtiſſima imagine exprimunt. Alii cum nulla veri ſpecie, Homerum Planctarum nomine fretum Gaditanum deſignaſſe volunt. *r*) Dictum illud de Planctis paulo obſcurius;

Οιη δη κεινη γε παρεκπλω ποντοπορου νηυς,
Αργω πασι μελουσα, πας Αιηταο πλεουσα, *s*)

vel ad famam illam qua Argo a Colchide in Oceanum egreſſa, alia via in occidentaliora maris interni reducitur (quam tamen aetate Homeri jam vulgatam vix crediderim) eſt referendum, vel ita expediri poteſt, vt putemus Poëtam haec a Symplegadibus, ad quarum

p) Od. XII. 55 ſqq. 201 ſqq.
q) Od. XII. 68.
r) Strab. 258.
s) Od. XII. 69. 70.

rum exemplar Planctas finxit, neglectis locorum rationibus, transtuliſſe *t*). Praeterea Planctis adjunxit Homerus fabulam de Columbis Iovi ambroſiam apportantibus *u*) allegoricae ſimilem, quidquid tandem eſt, quod illa occultat.

Aeoliam inſulam quandam natantem *x*) decem dierum noctiumque navigatione ab Ithaca in occaſum ſolis reducit, *y*) et in ſerie errorum Vlyſſis mediam inter Cyclopum et Laeſtrygonum terram ponit. Putant itaque Aeolum, ex Homeri quidem mente, Strongyles regem fuiſſe *z*), quod optime cum ſitu Aeo-

 liae

t) Vtramque ſententiam profert Strabo p. 80. 222. Quid ipſe ſtatuat, non oſtendit.

u) Od. XII. 62. 65.

x) Od. X. 3.

y) Od. X. 25—30. Ignoraſſe videtur Homerus, ex Aeolia in Ithacam recto curſu non perveniri, ſed aut reditu Cyclopum terram, aut trajectu freti Siculi opus eſſe.

z) Strab. p. 423.

liae, qualem Homerus exhibet, conſentit. Ceteram quoque deſcriptionem inſulae Aeoliae ad inſulas Vulcanias accommodare laborant. Vixiſſe ibi quondam Aeolum tradunt, virum ventos, qui per dies proximos flaturi eſſent ex obſervatione craterum vicinorum ſcite praedicentem. *a*) At non ex hiſtorico fonte fabula de Aeolo derivata eſt, in qua omnia allegorias ſolent. Aeolus ſymbolica anni imago rex ventorum dicitur, quia certis anni temporibus certi venti ſpirant. *b*) Poëta noſter Aeoliam, merum figmentum poëtae alicuius allegorici, certo loco, prout poſcebat carminis ſui ratio, fixit, neque diſcerni poteſt, vtrum vere cognitionem aliquam inſularum Vulcaniarum habuerit, an caſu tantum evenerit, vt in locis, quibus inſulam ſuam fictitiam tribuit, inſulae quaedam inveniantur.

DE OCEANO.

Orbe habitabili, in quantum Homero cognitus fuit, peragrato, facilius illuſtrabitur, quid ille de orbis natura in uniuerſum, deque ejus

a) Strab. p. 423, 24.
b) Euſt. ad Od. 378. 9.

ejus finibus ſtatuat. Homero globoſam terrae figuram non in mentem veniſſe, ſed planam vt diſcum ſibi eam finxiſſe, non opus eſt, multis demonſtrare. Vix puto aliud quidquam ab Homero expectari poſſe: tum vero ex illis, quae iam dicturus ſum, clariſſime hoc elucebit.

Viſa ſunt Homero quatuor orbis latera cincta eſſe Oceano. De occidentali et orientali illud eo ſignificat, quod ſolem et aſtra, dum oriuntur, ex Oceano emergentia, dum occidunt in illum ſubeuntia, fingit *c*). Ubi ait Arctum, ſidus ſeptentrionale nunquam Oceano tingi, *d*) boreali, vbi Aethiopes, id eſt regionum ferventium incolas, ad Oceanum collocat *e*), auſtrali Oceanum circumdare videtur. Porro ambitu Oceani circulum perfectum deſcribi, adeoque et mundi habitabilis figuram eſſe rotundam exiſtimabat, vt ex clypei

c) Il. V. 5. VII. 421. VIII. 485.
d) Il. XVIII. 487. 89.
e) Il. I. 423.

pei Achillei deſcriptione eſt perſpicuum *f*). Quod cum fluvio comparat Oceanum *g*), eundem ἀψορρόον *h*) et ἀκαλαρρέιτην, *i*) id eſt refluum et placide fluentem appellat, potius de motu leni et perpetuo, quo Homerus Oceanum in orbem circumferri, et in ſe redire arbitraretur, interpretarer, quam de aeſtu Oceani eum aliquid compertum habuiſſe crediderim. *k*) Quam late orbis limitem in Septentrionem produxerit, mihi non liquet. Extremum populum ibi Hippemolgos commemoravit. Vix tamen putaverim, eum, qui oram Ponti Euxini meridionalem et occidentalem tam diligenter cognoverat, hunc pro Oceani parte habuiſſe, quod Sraboni placet. De orientali orbis limite nihil ſtatuit, niſi quod conjicere licet e fama, quam Argonautarum expeditio de Oceano vltra Colchidem vulgaverat

f) Il. XVIII. 606. 607.
g) Il. XVIII. 606. XX. 7. XXI. 194. 195.
h) Il. XVIII. 399.
i) Il. VII. 422.
k) Haec eſt Strabonis ſententia p. 9.

at et e ſilentio Homeri de omnibus, quae vl-
ra Phoenicum Arabumque terram ſunt, eum
Oceanum ſuum orientalem e mari Caspio in
inum Perſicum fere deduxiſſe. Oceanum au-
tralem, Aethiopes accolae illi dati, intra
conam fervidam neceſſario retrahunt. Ad
Oceanum occidentalem collocat Homerus tum
Cimmerios, locaque infera, tum campos Ely-
ſios, *l*) quae vtraque a ſerioribus poetis in
unum locum congeſta, poëta noſter omnino
ſejungit, iſtis noctem perpetuam obducit, *m*)
haec coelo beniguiſſimo, quo ver aeternum
gignatur, ſubjicit. *n*) Vidimus, exitum in
Oceanum, quo ad Orcum tenditur, non vl-
tra navigationis diurnae ſpatium a Circes in-
ſula removeri. Fortaſſe Homerus eodem exi-
tu ad campos Elyſios perveniri poſſe putabat,
itinere ad meridiem in littore Oceani flexo *o*).
Deni-

l) Od. IV. 568.
m) Od. XI. 15 — 19.
n) Od. IV. 566 — 68.
o) Pleraque alia dicta de Oceano nunc o-
mitto, quippe quae e Coſmogoniis pe-
tita

Denique vltima terrae marisque et omnino mundi Homeri visa sunt in Tartarum, id est immensae altitudinis abyssum, cujus perpetuis densissimisque tenebris Iapetus et Cronus premantur, definere *p*).

tita, magis ad allegorias Homericas, quam ad Geographiam pertinent.

p) Il. VIII. 478 sqq.